BORNEMANN

In investiganda monachatus origine



In investiganda monachatus origine

quibus de causis ratio habenda sit

Origenis.

Scripsit

Fr. Wilh. B. Bornemann,
theologiae licenciatus.



Gottingae,
apud Vandenhoeck & Ruprecht.
MDCCCLXXXV.

Monachatus origines quomodo ad theologos Alexandrinos et praecipue ad Origenem revocandae sint, nostris temporibus quam accuratissime perquiratur videtur necesse esse. Weingarten enim, quum ante nonnullos annos argumentis gravissimis et ingeniosis [1]) prorsus alia, atque communis ferebat opinio, primordia monachatus fuisse ratus imprimis a cultu Aegyptiaco Serapidis ea duceret, theologiae Alexandrinae et ipsius Origenis vix mentionem fecit. Sed postquam Weingartenii disputatio, qua erat novitate, subtilitate, gravitate, plurimos permovit, ut denuo origines et causas monachatus perscrutarentur; nonnulla ab omnibus fere probata, pauca prorsus reiecta sunt; pleraque vero novas quaestiones easque maximi momenti excitabant. Aliis igitur alia novae illi hypothesi opponentibus viri doctissimi Keim [2]), Lucius [3]), Gass [4]), Hase [5]), Harnack [6]), alii, de monachatus principio agentes, cum alia multa obiecerunt, tum studium monasticae vitae imprimis adiutum esse theologia Alexandrina iudicaverunt. Sed quum et Weingarten illis respondens minime eam ad monachatum orientem pertinere censuerit [7]), et illi brevibus tantum expositionibus ac paucis argumentis sententiam suam firmaverint, explorare mihi proposui, quibus de causis in investiganda monachatus origine ratio habenda sit Origenis. Atque duas quidem esse causas existimo: alteram formalem seu methodicam, alteram materialem. Primum igitur argumentis Weingartenii examinatis exponam methodum historicam postulare, ut omnia asceseos elementa, quae ut apud ceteros scriptores ecclesiasticos usque ad S. Benedicti aetatem, ita apud Origenem nobis se offerunt, colligantur, inquirantur, cum monachorum moribus et institutis comparentur. Deinde collectis eis, quae in vita et scriptis Origenis monachatum praeparare videntur, demonstrare studebo

Origenem prae ceteris omnibus copiosam quaestioni nostrae materiam praebere, quam, qui neglexerit, monachatus origines et causas vix recte cognoscet aut aestimabit.

I.

Ac primum quidem, ut illa de monachatus originibus quaestio, Weingartenii disputatione non tam diiudicata, quam denuo excitata recte accurateque solvatur, rectam inquirendi methodum observari oportet. Itaque quum permulta argumenta et quaestionis ipsius indole et rerum nexu et virorum doctorum acumine allata sint aliisque praeterea augeri possint: ne certas res cum dubiis, facta cum opinionibus miscentes, rationem et fructus quaerendi deperdamus, non solum, quo loco res nunc sit, sed etiam, quomodo gerenda sit, brevi perquiremus. Sin autem Weingarten et sine ulla dubitatione optime de tota hac quaestione meruit et eis, quae contra eum dicta sunt, iam respondit, iustum atque aptum erit definire, quid eorum, quae Weingarten exposuit et protulit, certum nobis videatur esse, quid dubium, quid reiiciendum.

Imprimis autem Weingarten primus — id, quod omnes gratissimo animo comprobant — quales essent historiae monachatus antiquissimi fontes, iudicio integro, ratione methodica, constantia immota critice perquisivit. Quo facto firma argumentatione compluribus libris, quos historia monachatus antea sequi solebat, potius fabulas iucundas aut res fictas atque ad propagandum ipsum monachatum excogitatas contineri demonstravit quam certa et vera monumenta. Itaque cum omnino omnia praeconia, omnes panegyrici, tum Hieronymi, Rufini, Palladii scripta cautiore tantum iudicio recipienda sunt. Vitis igitur monachorum, ab Hieronymo traditis, Rufini historia monachorum, Palladii historia Lausiaca, vita Antonii Athanasio ascripta, ut certis et firmis fontibus uti non licet, si de monasticae vitae originibus agitur [8]). Quare magna in difficultate versamur, praesertim quum neque Eusebii neque genuina Athanasii scripta de monachatus originibus quicquam habeant neque usque ad decessum Constantini Magni certa ulla monumenta nobis tradita sint [9]). Hoc autem fere unum constat

monachatum in Aegypto [10]) ortum et celebratum et inde propagatum esse. Neque ullis testimoniis, nisi nova ac meliora argumenta vel testes probati afferentur, vitam monasticam aut persecutionibus aut martyrii spiritualis studio [11]) aut vivaci reditus Domini exspectatione [12]) aut quadam contagione buddhistica [13]) exortam esse demonstrari potest. Immo, quaecumque tradita sunt, ascesi quadam maximi aestimata monachorum propositum et mores orta esse ostendunt.

Quodsi Weingarten quaestioni toti non tam latum, quam firmum fundamentum comparare studuit, nonnulla tamen eorum, quae arte critica aut reiecit aut statuit, nimia sagacitate videntur iudicata ac denuo perquirenda esse. Ea quidem, quae Socrates h. e. I, 13 de Eutychiano Novatiano et eremita narrat, magnam movent suspicionem [14]). Neque vero alia, quae memoriae prodita sunt, perscrutantibus nobis vitae monasticae origines prorsus praetermittenda sunt. Nam epistola Pinnetis presbyteri (apol. contra Arianos 67. Athan. opp. I, 45), quam Weingarten aut, si genuina sit, monasterii mentionem non facere aut, si faciat, post Athanasii aetatem fictam esse decernit, denuo videtur critice examinanda esse [15]). Deinde etsi Eusebius (dem. ev. I, 8 [16]), h. e. II, 17 [17]), VI, 9, 10) [18]) de perfecto evangelicae politiae modo (*ὁ ἐντελὴς τῆς κατὰ τὸν Χριστιανισμὸν πολιτείας τρόπος*), de Therapeutis, de Narcisso episcopo fugitivo, Epiphanius (haer. 67) de Hieracitis [19]) non ita agunt, ut sensu strictiore de monachis vel moribus et institutis monasticis intelligendum sit, tamen illa non levia sunt, sed digna, quae accurato et cauto iudicio explorentur. Etenim ut Gieseler, Keim, Hase, Lucius, alii fortasse nimium illis locis tribuerunt, omnia ad monachos et monachatum referentes, ita Weingarten parum tribuit, quippe qui vitam illam asceticam, ibi descriptam et monasticam disciplinam ullo modo inter se cohaerere negaverit. Weingartenio autem concedendum erit, ad origines monachatus exponendas locis illis utendum non esse, priusquam accuratissime, quid contineant de ascetica et anachoretica vita, investigatum fuerit. Contra illis adstipulamur postulantibus, ut ecclesiae antiquae ascesin simillimam et affinem esse monasticae intelligatur. Itaque singulis locis exa-

minatis diligenter exquirendum erit, quomodo illa asceticae vitae vestigia et connexa sint cum monastico proposito et ab eo differant. Deinde, quum etiam homiliae Aphraatis pro argumento poni nequeant, nisi prius critica arte examinatae fuerint, optime de monachatus historia merebit ille, qui linguae Syriacae peritus, ubi, quando, a quo scriptae sint, quid de ascetica et monastica vita contineant, quid de eis iudicandum sit, diligenter exploraverit [20]). Denique Weingarten duo monumenta in dubium vocavit, quibus imprimis opera navanda est. Neque enim vita Antonii, si ab Athanasio, cui ascribitur, confecta non est, ut Weingarten ostendere studuit [21]), ad explicandas monasticae vitae origines pluris aestimanda est quam vita Pauli monachi, ab Hieronymo excogitata. Simili modo, si et ipsius historiae Arianorum ad monachos Athanasius auctor non est, quod idem Weingarten sentire videtur [22]), rursus numerus fontium, quibus antiquissimi monachatus res certius cognosci possunt, diminutus est. Neque vero illud iam diiudicatum esse existimo. Sed alter liber vix critica arte tactus est, alter mox invenit, a quibus defenderetur [23]). Nondum igitur ea Athanasii opera esse non posse manifestum est. Interim autem, quum Athanasii ea esse neque negari neque affirmari possit, incerta fundamenta, ambigui testes, dubia auxilia sunt. Itaque quo maioris momenti propter magnam Athanasii auctoritatem genuina scripta essent, eo magis optandum est, ut et de vita Antonii et de historia Arianorum iudicium certum ac probatum fiat. Traditione igitur et de Pinnetis epistola et de Therapeutis et de Hieracitis et de Aphraatis homiliis et de vita Antonii et de historia Arianorum, per Weingartenium labefactata, criticae arti novae quaestiones propositae sunt.

Tali modo postquam ea, quae Weingartenii opera aut penitus explorata aut iure dubia facta sunt, exposuimus, liceat enumerare ea, quae eius sententiae opponi posse existimamus.

1. Ac primum quidem Weingarten monachatum declaravit esse „ascesin, qua prorsus et mundo et ecclesiae renuntietur.“ („Dagegen das Mönchtum ist die Askese in völliger Loslösung von der Welt und der Gemeinde.“ Weing. apud Herzog-Plitt, X, 759). Quo posito non solum monasticam disciplinam quarti

saeculi cum ascesi ecclesiastica priorum saeculorum arctissime coniunctam fuisse negat, sed etiam genuinam et primitivam monachatus formam solam vitam anachoreticam seu eremiticam seu solitariam fuisse contendit [24]), postea demum Basilio, aliis auctoribus vita communi superatam et submotam. Neque vero definitio illa sic intellecta rei congruere mihi videtur. Etenim ascesis prius in ecclesia exercitata in monasticam disciplinam, et rebus et nominibus, ita transiit, ut non modo, monachatus nomine iam invento, ascetae cum monachis miscerentur et voce „μοναζόντων appellarentur, sed etiam 'monachi interdum simplici „ascetarum“ seu „continentium“, monasteria „ἀσκητηρίων“ nomine denotarentur [25]). Nec hoc negligendum est, quod „monachi“ notio antiquis temporibus non modo turbis saecularibus, sed etiam coniugio contraria, modo anachoretae seu eremitae, modo virginis notioni similis est [26]). Accedit, quod monachi, quamquam saepissime more anachoretarum in desertis et vastis locis versati esse dicuntur, nihilominus et peregrinantes per terras cultas et habitantes in vicis et urbibus inveniebantur [27]). Denique „monachi“ notio, etiamsi in principio solos eremitas amplexa est (id, quod nonnullis de causis dubitari potest), ita erit definienda, ut posteriorum quoque temporum usu cognito omnium eorum ratio habeatur, qui umquam revera „monachi“ vocati sunt. Itaque definitio a Weingartenio allata eis, quae Weingarten ipse postea exposuit, aut imperfecta aut nimis simplex et angusta fit, nisi semper ut „renuntiandi“, „asceseos“, „mundi“ notiones, ita „monachi“ multa significare posse et quasi versicolores esse memoria teneas.

2. Secundum Weingarten et ea, quae ascesi ecclesiasticae priori et monasticae disciplinae communia sunt, et ea, quae prioribus saeculis in ecclesia comparari possunt, continentiae seu asceseos vestigia minoris aestimat [28]). Sed, dummodo omnes vitae asceticae partes ecclesiae primitivae, castitas, continentia, simplicitas, disciplina, eleemosyne, ieiunia, vigiliae, stationes, contemplatio, meditatio, oratio, mutua adhortatio, contemtio mundi colligantur nec omittantur virgines, viduae, continentes, evangelistae, magistri, poenitentes: vix unum monachatus signum invenies, quod usque ad quartum saeculum

non sit praeparatum ascesi Christiana [29]). Nec affirmari potest, studium asceticum tertio saeculo longe lateque diffusum non fuisse. Immo, quanta fuerit laus et vis asceseos, Origenis vita et scriptis infra illustrare studebimus. Contraria autem, quae Weingarten protulit [30]), cum multis aliis rebus redarguuntur, tum idcirco certo argumento esse nequeunt, quia omnia fere e scriptis apologeticis desumpta sunt. Res enim ipsae non tam apologeticis quam theticis scriptis, asceticis, homiliis, epistolis, commentariis, martyrologiis, aliis certo cognoscuntur: quae omnia et floruisse et maxime laudatam et commendatam et aestimatam esse vitam asceticam demonstrant. Itaque et ascesis ecclesiastica et philosophia scholae Alexandrinae ascetico studio favens non solum monachatui opponi [31]), sed etiam cum eo comparari possunt. Erant quodammodo contraria monasticae disciplinae, neque vero minus erant priores gradus atque principia [32]).

3. Tertium, qua ratione Weingarten ad explicandas monachatus origines e fontibus alia receperit, alia reiecerit, non intelligo. Nam quo maiore arte atque diligentia magnam fontium copiam critice perscrutatus est, eximio acumine dubia testimonia a certis secernens, eo minus positiva norma comprobari potest, qua ipse de originibus monachatus diiudicat. Etenim, quos ipse reiecit fontes, eosdem iterum affert aut, si non fontes ipsos, tamen imaginem e libris modo reiectis fictam. Reiicit enim priorum saeculorum testes, Athenagoram, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Eusebium [33]); non agnoscit Therapeutas, Hieracitas [34]); libellum de singularitate clericorum Cypriano ascriptum leviter tangit [35]); fictas esse vitas monachorum Pauli, Antonii, Hilarionis demonstrat [36]); homiliis Aphraatis fidem non habet [37]); Pinnetis epistolam ad rem pertinere negat [38]); apud Athanasium vix quicquam inveniri existimat [39]); in dubium vocat historiam Arianorum [40]); Gregorius Nazianzenus incertus laudator, Basilius Magnus non tam testis, quam reformator ei videtur pristini monachatus [41]); Rufini historiam monachorum, Palladii historiam Lausiacam in suspicionem adducit [42]).

Quid de Sulpicio Severo, Socrate, Sozomeno, Theodoreto,

qui prioribus illis libris et utebantur et ducti sunt? — Nullus igitur est certus testis, nullus de monachatus originibus indubitatus liber. Quae monumenta esse volebant, aut subditicia aut dubia aut fabulae aut panegyrici sunt [43]. Verumenimvero eisdem fundamentis nisus, quae ipse modo solida et firma non esse demonstravit, imaginem primitivi monachatus invenit, reclusorum illorum imagini simillimam, ita, ut origines monasticae vitae non Christianae ecclesiae ascesi, sed cultu ethnico Aegypti explicari possint [44]. Quod mihi videtur rei conveniens non esse. Nescio, quo iure, qui vitas Pauli, Antonii, Hilarionis, historiam Lausiacam, alia multa in dubium vocaverit, tamen his ipsis fontibus monastici propositi summam cognoscere possit [45]. Neque enim putidam illam ascesin et miracula incredibilia, quae Hieronymi vita Pauli, vita Antonii, historia Lausiaca, alii narrant, ea monachatus signa et fastigia fuisse persuadere mihi possum, quae veteres monachi revera assequi studerent. Equidem ea non aliis de causis excogitata, non alio modo ficta, non maiore fide digna esse existimo quam ea, quae Weingarten ipse negavit, miracula, monstra, numeros, fabulas monachorum [46]. Istis igitur fontibus neque, qualis fuerit prima monachatus forma, neque anachoretas priores fuisse coenobitis certo demonstrari potest. Neque omnino illis cum ullo fructu uti et facta a fictis secernere poterimus, priusquam accurate et omnia monachatus vestigia signaque, quae apud certiores scriptores exstant, et utique omnia asceseos instituta usque ad sextum saeculum collecta fuerint. Interim autem documenta dubia sunt, quibus res amplificari, non demonstrari possunt. Nusquam enim fortasse tam necessarium est, ut a re ipsa opiniones de ea latae, nec minus ea, quae sunt, ab eis, quae exoptantur aut iudicantur, distinguamus quam tum, quum de originibus monachatus agere conamur.

4. Quartum Weingarten postquam quaestionem posuit, utrum primordia monachatus in ecclesia Christiana ipsa inveniri possent an alio loco quaerenda essent [47], ad ethnicos mores, imprimis ad institutum reclusorum, in cultu Serapidis in Aegypto per multa saecula conservatum, monasticae vitae origines revocavit [48]. Sed de quaestione illa idcirco cautissime

agendum est, quia ipsa ecclesia iam tertio vel quarto saeculo non pura atque integra erat, sed ethnicorum philosophia, iure, disciplina, cultu, arte varium in modum imbuta. Quod quamquam Weingarten exponit [49]), tamen origines monasticae vitae nequaquam ecclesiae tribuit, sed reclusis Serapidis. Neque enim procreatum ab ecclesia esse monachatum, sed extrinsecus receptum et transformatum, postea reformatum et in ecclesiasticum corpus insitum praecipue Basilii Magni opera statuit [50]). Sed, etsi concedimus studia ascetica in ecclesia dilatata, in Aegypto cum vetere reclusorum disciplina coniuncta esse ita, ut per paucos annos monasticae vitae forma vitam reclusorum imitaretur, tamen cognita externa et mox abolita forma res ipsa nondum satis explicita est. Praeterea autem inter reclusorum mores et omnium monachorum disciplinam multa intersunt, quae iam Keim, Hase, Lucius, Weingartenio respondentes, enumeraverunt [51]). Quibus hoc unum addo, reclusorum instituto per saecula eandem immotam formam fuisse, ita, ut minima parte mutata reclusorum institutum iam non esse videretur: contra monachatum semper multis formis usum variisque mutationibus semper per saecula propagatum esse. Neque tale institutum, nisi studium asceseos iam diu et multis locis in ecclesia floruisset, subito invenisset, a quibus reciperetur et reformaretur. Denique illa monastica disciplina, quam Basilius instituit, vix quicquam habuit, quod iam saeculo tertio in ecclesia partum aut praeparatum non esset. Itaque, si omnino reclusi ad praeparandam anachoretarum disciplinam quicquam contulerint, origines et causae monachatus non tam in ullo ethnico cultu, quam in ecclesia eiusque ascesi videntur quaerendae esse [52]).

Quae quum ita sint, transeamus ad alteram quaestionem, quomodo res gerenda sit. Methodus autem, qua in investigandis monachatus originibus utendum erit, et e rei ipsius et e fontium natura pendet. Itaque de monachatus et de fontium natura condicionibusque breviter dicendum est.

Monachatus non est simplex res et, quae semper eadem manserit, sed ita difficilis, saepe variata, multiplex, ampla, ut varia variis modis coniungere potuerit. Descriptio igitur mo-

nachatus et monachorum — haud aliter ac militiae et militum descriptio — facile aut, si definite circumscripta erit, nimis angusta vel arbitraria, aut, si rerum varietatis et commutationis rationem habuerit, indefinita vel parum certa videbitur. Sed veritas definitionis brevitati et simplicitati praeferenda est. Itaque rei naturam describere quam brevem formulam proponere malumus.

Monastica igitur vita non subito perfecta et expedita emersit, sed multis rebus et longo temporis spatio varie praeparata est. Nomen igitur monachi seu monachatus ubi et quando et apud quem primum inveniatur, fortasse statui potest. Rei ipsius origines, quia paulatim et clam multis causis exortae sunt, semper quodammodo occultae manebunt. Nam ut apud paganos similia et cultu et philosophia exorta sunt, ita in ecclesia Christiana, priusquam monachatus florere coepit, multa antecesserunt [53]), quibus neglectis vita monastica nec recte intelligi neque aestimari potest. Quare et res et nomina asceseos et disciplinae ecclesiasticae paulatim in monasticam vitam transire iam supra diximus [54]).

Deinde monachatus, quia non solum doctrina, sed etiam vita et populari usu recipiebatur et propagabatur, multiplicibus formis, variis nominibus utebatur, imprimis illis saeculis, quibus ecclesia nondum certae regulae favebat nec unum monachorum genus ceteris anteponebat. Nominantur igitur monachi, *ἀσκηταί*, *ἀναχωρηταί*, *φιλόσοφοι*, continentes, devoti, religiosi, perfecti, renuntiantes, therapeutae, *φιλόθεοι*, hesychastae, *ἀκοίμητοι*, *βόσκοι*, Gyrovagi, Sarabaitae, cellulani, insulani, synoditae, coenobitae, — nonnae, moniales, monachae, virgines sanctae, ecclesiasticae virgines, devotae, religiosae, sanctimoniales; commemorantur monasteria, cellulae, *μάνδραι*, *λαῦραι*, coenobia, tuguria, *οἰκίσκοι*, *φροντιστήρια*, *ἀσκητήρια*, casae, speluncae, *σπήλαια*, xenodochia, tabernacula. Quae nomina maiore aut minore discrimine secernuntur, ita tamen, ut omnia eidem monachatui serviant [55]). Cui nominum diversitati ut externae formae, disciplinae, patriae, vivendi rationis, propositi varietas respondebat, ita etiam causae, quibus permoti singuli monasticam vitam eligerent, plurimae et diversae erant. Nam

et ecclesia et philosophia et reipublicae seu mundi status novum vitae modum adiuvabant [56]).

Etenim si ecclesiam respicimus, quum magis magisque et veteris testamenti autoritatem, normam, summam afferre atque sequi et evangelium novam legem ducere coepisset, novi testamenti littera, aut leviter aut minus recte intellecta et imperite adhibita, monasticae vitae genus postulare aut commendare videbatur: vetus testamentum exempla, typos, vaticinia, exhortationes adiungebat. Quod exemplis totius sacrae scripturae eo facilius confirmari et illustrari poterat, quia non modo notiones „*κόσμου*“, „*σαρκός*“, aliae ab imperitis tunc saepe non recte intelligebantur, sed etiam in cultu, exegesi, doctrina methodus allegorica florebat. Itaque omnes, qui perfectionem evangelicam assequi, a peccatis liberari, vitatis mundi illecebris sanctam vitam agere, deum vere cognoscere, spiritualibus donis exornari volebant, monachatus proposito facile capi poterant, praesertim quum ipsa ecclesia nimis in mundo versari et mundo immunda facta esse videretur. Neque vero totam ipsam ecclesiam propterea falsam aut corruptam esse putabant. Sed quum necessaria existimaretur quaedam ecclesiae cum republica et mundo coniunctio, duplici Christianae vitae via statuta simpliciores ecclesiasticis officiis concedebant, sibi ipsi perfectiorem disciplinam eligebant [58]). Alii igitur, qui summum pietatis evangelicae fastigium et vitae aeternae mercedem petebant, consilia evangelica sequi permoti sunt, postquam et vocatio civilis minoris quam munus spirituale aestimari et clerici magis magisque a rebus et curis saecularibus absolvi coeperunt [59]). Alii, rei familiari renuntiantes vel in perpetua paupertate degentes poenitentiam exercebant, vitia praeterita deplorabant, peccatorum remissionem quaerebant. Hi mundum improbum sollicitationesque timebant et fugiebant, se ipsos abnegabant, carnem et concupiscentiam cruciabant. Illi aut pristina morum severitate aut vitae apostolicae simplicitate, concordia, claritate permoti, disciplinae durae vel communi vitae se dabant, ut „meditarentur in verbo Dei die ac nocte.“ Multis miracula edere, cum daemonibus pugnare, daemones expellere egregium videbatur munus, cui ieiuniis et orationibus perpetuis (cfr.

Matth. 17, 21) serviebant. Praeterea, ubi et totum fere imperium Romanum evangelii doctrina superatum est et ecclesiasticum docendi praedicandique munus ubique fere ad presbyteros transiit, evangelistis, qui prioribus saeculis relictis omnibus mundi rebus peregrinantes et „de evangelio viventes“ domini consilio Matth. 19, 21 responderant, iam opus non erat [60]. Ita ecclesiam, quum iam deesse viderentur, qui paupertate voluntaria, renuntiatione, oboedientia ad verbum debita perfectionem illam evangelicam ante oculos ponerent, monachi novo perfectionis ordine donaverunt. Accedit, quod etiam philosophorum rationes illis temporibus, omnes fere dualismo cuidam subiectae, perpetuo otio, θεωρίᾳ, ἀπαθείᾳ, gnosi, mystica contemplatione homines a vitae miseria et mortis sorte et mundi fragilitate ac vanitate liberari et perfectionis libertatisque cacumen consequi posse docebant [61]. Nec minus rerum civilium et publicarum status monachatui favebat. Multi enim erant, qui magistratuum onera, munera sumptuosa, vectigalia, labores, iniquitates, curas, penuriam, persecutiones, seditiones, bella, inimicitias, alia fugiebant, quibus omnibus relictis gloriam sanctitatis et certum victum facile adipiscebantur [62]. Insuper nobiles homines, qui propter pietatem seu „in remedium animae“ totam rem familiarem abiecerant, fideles, qui propter controversias ecclesiasticas patria expulsi erant, facillime monasticam vitam eligere quam cum pauperibus et aniculis communi arca ecclesiastica ali malebant. Denique plurimi mundum senescere, interitum omnium prope adesse persuasum habebant.

Quae argumenta augeri posse non ignoro [63]. Sed haec hactenus! Satis enim elucet rem, quae tot variis causis exorta sit, variis formis uti, diversos fructus ferre, cum multiplicibus rebus coniungi, aliis servire, alias superare, mutabilem denique et factis et formis et propositis varie aestimari posse [64]. Quodsi revera monachatus crevit, mutatus, promotus, variatus est, per spatium non solum temporum, sed etiam locorum longe diffusus: etiam propter provinciarum, nationum, regionum, adversariorum, defensorum, occasionum diversitatem iam quarto saeculo multiplices induit formas [65].

Quibus de causis quum rei ipsius amplitudo et varietas in perscrutanda monachatus historia diligentissimam curam postulet, fontium natura quaestioni summam difficultatem afferri molestissime ferendum est. Scripta enim, quae de originibus et primitiva historia monachatus agunt, omnia fere compluribus demum annis, postquam vita monastica initium cepit, confecta sunt. Deinde ea, quibus accurate et sine ira et studio res narrantur, pauca et rara et angusta sunt. Vix enim unum, certum atque copiosum monachatus prioris monumentum traditum est, sed tantum nonnullae fidorum scriptorum observationes forte incidentes, pauca imperatorum edicta, nonnulli conciliorum canones, nonnullae epistolae investigantibus nobis firmo fundamento esse possunt. Ei autem libri, qui largam et copiosam materiam offerunt, omnes fere, sicut Weingarten ostendit, dubii et incerti sunt [66]). Praeterea, quae referuntur, vario modo inter se differunt. Nam cum et nomina atque notiones suos fines, suam historiam habent et causae aliis locis et temporibus alia sunt gravitate et natura; tum oriens et occidens, nobiles et vulgus, partes ecclesiasticae, factiones philosophicae, singuli homines de vita monastica varie iudicare poterant. Quinetiam idem scriptor tale studium altero libro laudibus efferre, altero paene dissimulare poterat [67]).

Quibus rebus fit, ut de notione et imagine et origine rerum monasticarum quaestio difficillima sit. Si vero post nonnullos annos de prioribus monachis non certa ulla argumenta, sed fabulae solae et res fictae traditae sunt, monachatum non tam re quam forma, vi, propagatione novum atque inauditum fuisse verisimile est. Insuper, dummodo rem recte descripserimus, et tempora primitivi monachatus incerta et auctores vitae monasticae minoris momenti sunt. Nam studio ascetico, iam dudum praeparato et paulatim prolato nihil nisi novas diversas formas externas dabant, — quod aut longo aut brevi temporis spatio fieri poterat. Denique si monachum non nisi anachoretam dixeris, non primus, sed is eremita monachatus auctor appellari potest, qui primus multos imitatores invenerit.

Itaque ut alio modo origines et causae monachatus perquirantur, et natura propositi monastici et fontium natura

postulatur. Necessaria autem methodus agendi nobis videtur haec esse:

1. Primum, ut colligantur omnes loci scriptorum certorum inde ab anno 300 usque ad annum 500, praecipue, qui forte incidentes de rebus monasticis aut facta aut iudicia afferunt. Quibus addenda sunt decreta conciliorum et edicta imperatorum, quae de monachis agunt. Praeterea, quid iidem scriptores de ascetica disciplina praeter monachatum, de virginibus, viduis, continentibus etc. habeant, conquirendum est. Tali modo instructi etiam de illis fontibus, qui aut in dubium vocati aut subditicii aut ficti sunt, fortasse iudicare poterimus ita, ut certa, verisimilia, incerta, falsa distingui possint.

2. Deinde, ut certis illis fontibus notae seu signa monachatus cognoscantur. In qua re neque ullum proprium signum suo loco praetermittendum est neque descriptio monachatus tam arcte definienda, ut varietati et amplitudini rei non respondeat. Nec omittenda sunt specialia monachatus attributa seu epitheta ornantia. Equidem autem puto monachatum circumscribi posse hoc fere modo: est „contempto mundo uni Deo servire 1) paupertate, 2) castitate, 3) contemplatione, 4) anachoresi, 5) exercitiis asceticis, 6) vita communi.“ Quae signa tamen ante regulam Benedicti neque omnia ubique vita monastica coniunguntur neque singula ubique absolute perficiuntur, sed diversa ratione, qua coniuncta et perfecta sunt, singula monachorum genera designant, simul autem cum pristinis ecclesiasticae asceseos modis ea vario modo ac gradu connectunt [68]. Addendum autem est, monachatum tum demum exortum esse, postquam generatim iam inter perfectos et simplices, inter consilia evangelica et praecepta, inter duplicem vitae Christianae rationem distinctum et quaedam ecclesiae cum mundo coniunctio necessaria esse existimata est [69].

3. Tum, ut colligantur ex omnibus priorum saeculorum certis fontibus omnia similia, facta, studia, proposita, instituta, iudicia, observatis tamen et auctorum indole et fontium genere naturaque [70].

4. Deinceps comparatis eis, quae apud scriptores priorum saeculorum inveniuntur, cum eis, quae apud posteriores collecta

sunt, et origines et causae et imago monachatus melius forte et certius cognoscentur. De duabus autem rebus, ut quaestio solvatur, inquirendum est:

a) habeatne monachatus ullum signum seu elementum, quod antea in ecclesia aut non adfuerit quodammodo aut non sit excogitatum, exspectatum, optatum?

b) qualia post propagatam monasticam vitam propriae ecclesiasticae asceseos signa, proposita, instituta fuerint?

Ita demum, utrum origines monachatus intra ecclesiam Christianam an extra ecclesiam quaerendae sint, diiudicari poterit. Sed opus est quam accuratissima et integerrima colligendi, explorandi, comparandi, iudicandi ratione.

Methodus igitur historica et propter monachatus ipsius naturam et propter fontium statum postulat, ut omnia asceseos elementa, quae inveniuntur apud scriptores ecclesiae antiquae, colligantur, inquirantur, cum monachorum moribus et institutis comparentur. Quodsi Origenis vita praeclara, scripta multa et ingeniosa, studia profunda et propria, vis et auctoritas maximae fuerunt, certo in investigandis monachatus originibus ratio eius habenda est.

II.

Transeamus ad alteram propositi nostri partem, qua Origenem prae ceteris omnibus tantam quaestioni nostrae materiam praebere demonstrabimus, ut eo neglecto monachatus origines et causae vix recte cognosci aut aestimari possint. Ea igitur, quae iam Redepenning, Keim [71]), Harnack [72]) brevi iudicaverunt, uberius illustrare conabimur, quaecumque in vita et scriptis Origenis monachatum praeparare videntur, quam accuratissime componentes. Neque vero hoc loco de theologiae et philosophiae Origenis natura longe disputabimus, quum ea, quae saepe iam de philosophorum illius aetatis rationibus et formis vel de theologia Alexandrina generatim dicta sunt, repetenda essent. Sed his rebus positis [73]) singula, quae ad rem videntur pertinere, quam plurima afferemus, ut, quanti ponderis sit in cognoscendis monachatus causis Origenis vita et theologia,

ipsa materia collecta potius manifestum fiat quam rationibus et syllogismis concludatur.

Primo igitur loco collocanda sunt ea vitae lineamenta, quibus Origenes praecursor quodammodo vitae monasticae apparet. Narrat igitur Eusebius h. e. VI, 3: . . . . „καὶ τὰ κατὰ πρᾶξιν ἔργα αὐτῷ γνησιωτάτης φιλοσοφίας κατορθώματα εὖ μάλα θαυμαστὰ περιεῖχεν. Οιον γοῦν τὸν λόγον, τοιόνδε φασὶ τὸν τρόπον· καὶ οιον τὸν τρόπον, τοιόνδε καὶ τὸν λόγον ἐπεδείκνυτο. Διὸ δὴ μάλιστα συναιρομένης αὐτῷ δυνάμεως θείας μυρίους ἐνῆγεν ἐπὶ τὸν αὐτοῦ ζῆλον. . . . Εἶτα λογισμῷ καθήκοντι, ὡς ἂν μὴ γένοιτο τῆς παρ' ἑτέρων ἐπικουρίας ἐνδεής, ὁσάπερ ἦν αὐτῷ πρότερον λόγων ἀρχαίων συγγράμματα φιλοκάλως ἐσπουδασμένα μεταδούς, τοῖς ὑπὸ τοῦ ταῦτα ἐωνημένου φερομένοις αὐτῷ τέτταρσιν ὀβολοῖς τῆς ἡμέρας ἠρκεῖτο, πλείστοις τε ἔτεσι τοῦτον φιλοσοφῶν διετέλει τὸν τρόπον, πάσας ὕλας νεωτερικῶν ἐπιθυμιῶν ἑαυτοῦ περιαιρούμενος καὶ διὰ πάσης μὲν ἡμέρας οὐ σμικροὺς ἀσκήσεως καμάτους ἀνατλῶν καὶ τῆς νυκτὸς δὲ τὸν πλείονα χρόνον ταῖς τῶν θείων γραφῶν ἑαυτὸν ἀνατιθεὶς μελέταις βίῳ τε ὡς ἔνι μάλιστα ἐγκαρτερῶν φιλοσοφοτάτῳ, τότε μὲν τοῖς ἐν ἀσιτίαις γυμνασίοις ἐνασκούμενος, τότε δὲ μεμετρημένοις τοῖς κατὰ τὸν ὕπνον καιροῖς, οὗ μεταλαμβάνειν οὐδ' ὅλως ἐπὶ στρωμνῆς, ἀλλ' ἐπὶ τοὔδαφος διὰ σπουδῆς ἐποιεῖτο. Πάντων δὲ μάλιστα τὰς εὐαγγελικὰς τοῦ σωτῆρος φωνὰς φυλακτέας εἶναι ᾤετο δεῖν, τάς τε περὶ τοῦ μὴ δύο χιτῶνας μηδ' ὑποδήματα χρᾶσθαι παραινούσας, μηδὲ μὴν ταῖς περὶ τοῦ μέλλοντος χρόνου φρόντισι κατατρίβεσθαι. Ἀλλὰ καὶ μείζονι τῆς ἡλικίας προθυμίᾳ χρώμενος, ἐν ψύχει καὶ γυμνότητι διακαρτερῶν εἰς ἄκρον τε ὑπερβαλλούσης ἀκτημοσύνης ἐλαύνων, τοὺς ἀμφ' αὐτὸν εἰς τὰ μάλιστα κατέπληττε μυρίους μὲν ὅσους λυπῶν εὐχομένους αὐτῷ κοινωνεῖν τῶν ὑπαρχόντων, δι' οὓς ἑώρων αὐτὸν εἰςφέροντα περὶ τὴν θείαν διδασκαλίαν καμάτους, οὐ μήν γε αὐτὸς ἐνδιδοὺς ταῖς καρτερίαις. Λέγεται γοῦν καὶ πλειόνων ἐτῶν γῆν πεπατηκέναι, μηδενὶ μηδαμῶς κεχρημένος ὑποδήματι, ἀλλὰ καὶ οἴνου χρήσεως καὶ τῶν ἄλλων παρὰ τὴν ἀναγκαίαν τροφὴν πλείστοις ἔτεσιν ἀπεσχημένος,

ὥστε ἤδη εἰς κίνδυνον ἀνατροπῆς καὶ διαφθορᾶς τοῦ θώρακος περιπεσεῖν. Τοιαῦτα δὴ φιλοσόφου βίου τοῖς θεωμένοις παρέχων ὑποδείγματα, εἰκότως ἐπὶ τὸν ὅμοιον αὐτῷ ζῆλον πλείους παρώρμα τῶν φοιτητῶν, ὥστε ἤδη καὶ τῶν ἀπίστων ἐθνῶν τῶντε ἀπὸ παιδείας καὶ φιλοσοφίας οὐ τοὺς τυχόντας ὑπάγεσθαι τῇ δι᾽ αὐτοῦ διδασκαλίᾳ κτλ. . . Et postea idem Eusebius h. e. VI, 8: Ἐν τούτῳ δὲ τῆς κατηχήσεως ἐπὶ τῆς Ἀλεξανδρείας τοὖργον ἐπιτελοῦντι τῷ Ὠριγένει πρᾶγμα τι διαπέπρακται, φρενὸς μὲν ἀτελοῦς καὶ νεανικῆς, πίστεως δὲ ὁμοῦ καὶ σωφροσύνης μέγιστον δεῖγμα περιέχον. Τὸ γὰρ „εἰσὶν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν" ἁπλούστερον καὶ νεανικώτερον ἐκλαβών, ὁμοῦ μὲν σωτήριον φωνὴν ἀποπληροῦν οἰόμενος, ὁμοῦ δὲ καὶ διὰ τὸ νέον τὴν ἡλικίαν ὄντα μὴ ἀνδράσι μόνον, καὶ γυναιξὶ δὲ τὰ θεῖα προσομιλεῖν, ὡς ἂν πᾶσαν τὴν παρὰ τοῖς ἀπίστοις αἰσχρᾶς διαβολῆς ὑπόνοιαν ἀποκλείσειε, τὴν σωτήριον φωνὴν ἔργοις ἐπιτελέσαι ὡρμήθη, τοὺς πολλοὺς τῶν ἀμφ᾽ αὐτὸν γνωρίμων διαλαθεῖν φροντίσας. Οὐκ ἦν δὲ ἄρα δυνατὸν αὐτῷ καίπερ βουλομένῳ τοσοῦτον ἔργον ἐπικρύψασθαι. Γνοὺς δῆτα ὕστερον ὁ Δημήτριος ἅτε τῆς αὐτόθι παροικίας προεστώς, εὖ μάλα μὲν αὐτὸν ἀποθαυμάζει τοῦ τολμήματος, τὴν δέ γε προθυμίαν καὶ τὸ γνήσιον αὐτοῦ τῆς πίστεως ἀποδεξάμενος, θαῤῥεῖν αὐτίκα παρακελεύεται καὶ νῦν μᾶλλον ἔχεσθαι αὐτὸν τοῦ τῆς κατηχήσεως ἔργου παρορμᾷ." Eadem fere comprehendit Pamphilus martyr his verbis [74]): „Et quidem, quod et honore presbyterii in ecclesia praeditus fuerit et vitam abstinentissimam egerit et valde philosophicam, quodque puram religionis observaverit disciplinam et prae ceteris verbo Dei et doctrinae operam dederit, nulli dubium est et ex his, quae ad nos laboris et studii eius certissima designantur indicia." — Ecce paupertas voluntaria et frugalitas (Eus. h. e. 6, 3, 9), summa tenuitas (6, 3, 11), virginitas et castratio (6, 8, 1 ss), studia scripturae et contemplatio (6, 3, 9 etc.), asceseos labores (6, 3, 9), iuvenilium cupiditatum inimicitia (6, 3, 9), abstinentia (6, 3, 12), vigiliae (6, 3, 9), ieiunia (6, 3, 9), corporis disciplina (6, 3, 9), patientia frigoris nuditatisque (6, 3, 11), imitatio apostolorum

et evangelistarum (6, 3, 10), verissima philosophiae opera (6, 3, 6) seu vita maxime philosophica (6, 3, 9, 13), permultorum discipulorum aemulatio (6, 3, 7, 13)! Praeterea quum consuetudinem, quam cum discipulis suis habebat, paene vitam communem dicere possis, omnium monachatus signorum unum desiderabis: anachoresin. Quam ab eo, quamquam non loco, tamen re, actibus, mente et perfectam et doctam et in suis excultam esse cum multis librorum eius locis constat, tum eis, quae Gregorius Thaumaturgus discipulus panegyrica sua oratione exponit. Afferri autem possunt haec: „ἃ δὲ πάντων ἐστὶ κορυφαιότατα, καὶ ὧν μάλιστα ἕνεκα πᾶν τὸ φιλόσοφον διαπονεῖται γένος ὥσπερ ἐκ φυτείας ποικίλης τῶν ἄλλων ἁπάντων μαθημάτων καὶ φιλοσοφίας μακρᾶς, καρποὺς ἀγαθοὺς ἐκδεχόμενον, τὰς θείας ἀρετὰς τὰς περὶ ἦθος, ἐξ ὧν ἡ ἀτάραχος καὶ εὐσταθὴς τῶν ὁρμῶν τῆς ψυχῆς κατάστασις γίνεται καὶ ἀλύπους μὲν καὶ ἀπαθεῖς ἁπάντων κακῶν, εὐτάκτους δὲ καὶ εὐσταθεῖς καὶ θεοειδεῖς ἤμελλεν ἡμᾶς ὄντως καὶ μακαρίους καταστήσεσθαι [75]). . . . . δικαιοπραγεῖν μὲν καὶ ἀναγκάζων, εἰ δεῖ λέγειν, διὰ τὴν ἰδιοπραγίαν τῆς ψυχῆς, ᾗ προςθέσθαι ἡμᾶς ἔπεισεν· ἀπάγων μὲν τῆς κατὰ τὸν βίον πολυπραγμοσύνης καὶ τοῦ τῆς ἀγορᾶς ὀχληροῦ, ἑαυτοὺς δὲ περισκοπεῖν ἐπάρας καὶ τὰ αὐτῶν ὄντως πράττειν. . . . Τί γὰρ ἂν ἴδιον εἴη ψυχῆς ἕτερον; τί δὲ οὕτως ἄξιον ἢ τὸ ἐπιμελέσθαι ἑαυτῆς, οὐκ ἔξω βλέπουσαν οὐδ᾽ ἀλλοτριοπραγοῦσαν οὐδὲ (συνελόντα εἰπεῖν) ἀδικοῦσαν ἑαυτὴν τὴν χειρίστην ἀδικίαν, ἀλλ᾽ ἔνδον πρὸς ἑαυτὴν ἀπεστραμμένην, αὐτὴν ἑαυτῇ ἀποδιδοῦσαν καὶ δικαιοπραγοῦσαν; Οὕτως μὲν δίκαια πράττειν, εἰ δεῖ λέγειν, ἀναγκάζων ἐπαίδευε [76]). . . . οὐ τοίνυν οὐδὲ εὐσεβεῖν ὅλως δυνατὸν εἶναι ἔφασκεν, ὀρθῶς λέγων, μὴ φιλοσοφήσαντι [77]). . . . . . Οἷος οὖν τις σπινθὴρ ἐνσκήψας μέσῃ τῇ ψυχῇ ἡμῶν ἀνήπτετότε καὶ ἐξεκαίετο, ὅτε πρὸς τὸν ἁπάντων ὑπὸ κάλλους ἀῤῥήτου ἐπακτικώτατον αὐτὸν λόγον τὸν ἱερὸν τὸν ἐρασμιώτατον καὶ ὁ πρὸς τὸν ἄνδρα τόνδε τὸν αὐτοῦ φίλον καὶ προήγορον, ἔρως, ᾧ μάλιστα τετρωμένος ἁπάντων τῶν δοκούντων ἡμῖν προςήκειν πραγμάτων ἢ μαθημάτων τῶν τε ἄλλων καὶ αὐτῶν τῶν καλῶν μου νόμων, ἀμε-

λεῖν ἐπειθόμην, πατρίδος τε καὶ οἰκείων, τῶν τε παρόντων ἐνταῦθα καὶ οἷς ἀπεδημήσαμεν [78]).

Jam adiiciamus ea, quae in libris Origenis studiis illis respondent. Qua in re, ut certum ordinem servemus, singula, de quibus supra diximus [79]), monachatus signa percurrentes, colligemus et illustrabimus, quaecumque Origenes de paupertate, de castitate, de contemplatione, de anachoresi, de asceticis exercitiis, de vita communi exponit. Denique, qualia epitheta ornantia posterioris monachatus apud Origenem inveniantur, brevi adiungemus [80]).

1. Ac primum quidem de paupertate et tenuitate [80 a]) Origenis scripta idem testantur atque eius vita. Nam etiamsi locos Luc. 22, 35 s, 10, 4 ad litteram adhiberi non vult, ne littera occidat [81]), tamen similia Domini dicta ad verbum adhibet, defendit, sequitur. Ipse autem cognoscit in ecclesia „quosdam, qui virtute animi et meritorum gratia ceteros omnes praecedunt", „quorum haereditas Dominus est", scilicet eos, „qui sapientiae ac scientiae operam dantes et mentem suam mundam puramque servantes atque omnibus praeclaris virtutibus suas animas excolentes ceteris simplicioribus per doctrinae gratiam illuminant iter." Qui leges, non a Moyse, sed a Christo datas implent, illas: „vade, vende" etc. Mt. 19, 21, „qui non renuntiaverit omnibus" etc. Luc. 14, 33, „omnis, qui non oderit" etc. Luc. 14, 26. „Beatus ergo est, qui se talem exhibet et in istis omnibus, quae praecepit Jesus, invenitur esse perfectus." Tales autem terrena habere dedecet. „Lex enim Dei sacerdotibus commissa est et Levitis, ut huic soli operam tribuant et verbo Dei absque ulla sollicitudine vacent. Sed interim, ut vacare possint, laicorum ministeriis uti debent" [82]). Eodem modo: „Sed citius", inquit, „haec referamus ad nos, quibus lex Christi, si eam sequamur, nec possessiones in terra nec in urbibus domos habere permittit. Et quid dico domos? Nec plures tunicas nec multam concedit possidere pecuniam: habentes enim, inquit, victum et vestitum, his contenti sumus" [83]). Illa autem „lex Christi" etiam apud Matthaeum invenitur capite XIX, de quo loco longa et gravi expositione

agitur [84]). Perfectae enim paupertatis exempla non solum locis Act. 2, 44. 4, 32–37 demonstrantur, sed etiam „δὶ ἐλευθερίαν καὶ παράδειγμα εὐτελοῦς βίου Crates Thebanus commemoratur, qui tota re familiari abiecta „hodie", inquit, „Crates Cratetem libertate donavit!" Cui exemplo addit Origenes: „εἴπερ δὲ δι' ἑλληνικὴν σοφίαν καὶ δόγματα ἑλόντα τὴν ψυχὴν ἀνθρώπου τὸ τοιοῦτόν τις πεποίηκε, πῶς οὐχὶ μᾶλλον δυνατὸν, τὸ τοιοῦτον πρᾶξαί τινα μνώμενον ἑαυτῷ τὴν τελειότητα;" Sed tali modo evangelica paupertatis perfectione commendata Origenes ipse hanc quaestionem ponit, quomodo perfectus nominari possit, qui bonis terrestribus renuntiaverit. Aut enim iam renuntiasse perfectio est, quamvis ira, moeror, timor, concupiscentia, passiones maneant neque sapientia divina superentur; aut uno illo renuntiandi actu omnia vitia exstingui, virtutes omnes donari censendum est. Quod quum utrumque absurdum videatur, Origenes pluribus aliis interpretationibus reiectis ipse existimat, perfectionem, quae ἀπάθεια sit, non tam subito renuntiatione donari, quam paulatim dari et crescere, adiutam precibus orationibusque eorum pauperum, qui possessionibus illis donati et delectati sunt. Omnino autem pauperes veros Christi imitatores esse et sicut apostolos in futuro iudicio iudicaturos, promissionum participes. —

Alio loco „neque in terris habendum esse aliquid proprium huic, qui divinae philosophiae studeat", exponit haec addens: „Si quis ergo primum locum in emendandis moribus mandatisque servandis, qui per proverbia designatur, implevit, post haec autem vanitate mundi deprehensa et rerum caducarum fragilitate perspecta venit in hoc, ut renuntiet mundo et omnibus, quae in mundo sunt, consequenter veniet etiam ad contemplanda et desideranda ea, quae non videntur et aeterna sunt" [85]). „Impossibile autem est, et in praesenti saeculo bona consequi et in futuro" [86]). Contra „quantis daemones putatis agi tormentis, si quem videant secundum verbum Domini vendere omnia sua, quae possidet, et dare pauperibus et tollere crucem suam et sequi Christum?" [87]) „Ego si renuntiem omnibus, quae possideo et tollam

crucem meam et sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei" [88]). Similiter: „si gaudeam in verbo Domini, si gaudeam de scientia mysteriorum Dei, si gaudeam, quod dignus habitus sum, sapientiae Dei secreta et arcana cognoscere, si gaudeam, quod relictis omnibus, quae sunt in hoc mundo, non solum inutilibus, sed et utilibus, non solum vanis, sed et necessariis soli me verbo Dei atque eius sapientiae manciparim: in iis omnibus satis, ut puto, acceptae Deo primitiae gaudio offerentur" [89]). Neque vero ab omnibus tale propositum probatur. „Sed et hodie, si Moses et Aaron, id est propheticus et sacerdotalis sermo animam sollicitet ad servitium Dei invitetque eam exire de saeculo, renuntiare omnibus, quae possidet, operam dare divinae legi et sequi verbum Dei, continuo audies dici ab his, qui Pharaoni unanimes et amici sunt: „Videte, quomodo seducuntur homines et pervertuntur, quales adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid, quod iis prosit, relictis rebus necessariis et utilibus ineptias sectantur et otium. Quid est servire Domino? Laborare nolunt et inertis otii occasiones requirunt." Haec erant tunc verba Pharaonis, haec et nunc amici eius et familiares loquuntur" [90]). Revera autem illi, „quorum pars est Dominus nec ulla iis portio habetur in terris", „sacerdotaliter agunt" et sunt „vere sacerdotes et Levitae Domini" [91]). Quibus de causis Origenes gravissimam homiliam ita finit: [92]) „Denique vis scire, quid intersit inter sacerdotes Dei et sacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit sacerdotibus suis. Dominus autem sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed dicit iis (Nu. 18, 20): „Ego sum pars vestra." Observate ergo, qui haec legitis, omnes Domini sacerdotes, et videte, quae sit differentia sacerdotum, ne forte, qui partem habent in terra et terrenis cultibus ac studiis vacant, non tam Domini quam Pharaonis sacerdotes esse videantur. Ille est enim, qui vult sacerdotes suos habere possessiones terrarum et exercere agri, non animae culturam, ruri et non legi operam dare. Christus autem Dominus noster sacerdotibus suis, quid praecepit,

audiamus: „Qui non abrenuntiaverit", inquit Luc. 14,33, „omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus." Contremisco haec dicens. Meus enim primo omnium, meus, inquam, ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem et eum, qui non renuntiat omnibus, quae possidet. Et quid agamus? Quomodo haec aut ipsi legimus aut populis exponimus, qui non solum non abrenuntiavimus his, quae possidemus, sed et acquirere volumus ea, quae numquam habuimus, antequam veniremus ad Christum? Num quidnam, quia nos redarguit conscientia, tegere et non proferre, quae scripta sunt, possumus? Nolo duplicati criminis fieri reus. Confiteor et palam populo audiente confiteor haec scripta esse, etiamsi nondum implesse me novi. Sed ex hoc saltem commoniti festinemus implere, festinemus transire a sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est, quibus portio Dominus est. Talis enim erat ille, qui dicebat: „tamquam egentes, multos autem locupletantes; ut nihil habentes et omnia possidentes." Paulus hic est, qui in talibus gloriatur. Vis audire, quid etiam Petrus de se ipso pronuntiet? Audite eum cum Joanne pariter profitentem et dicentem: „aurum et argentum non habeo, sed, quod habeo, hoc tibi do: in nomine Jesu Christi surge et ambula." Vides sacerdotum Christi divitias, vides nihil habentes, quanta et qualia largiuntur. Istas opes largiri non potest terrena possessio. . . . Sed et sacerdotes Domini, si semet ipsos discutiant et a terrenis actibus liberi sint et possessione mundana, vere possunt dicere ad Dominum: ecce, nos dimisimus omnia et secuti sumus te, atque audire ab eo: „quia vos, qui secuti estis me, in regeneratione omnium, quum venerit filius hominis in regno suo, sedebitis et vos, super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel!"

Qui sermo, et propter exhortationis severitatem et propter

confessionis sinceritatem egregius quomodo a populo Christiano receptus sit, nescimus. Attamen sacrae scripturae exempla, tanto animi fervore illustrata, quin apud auditores fideles plurimum effecerint, quis dubitabit? Hoc autem sine ulla dubitatione elucet, Origenem magna sua tenuitate contentum non fuisse, sed desiderasse tale paupertatis cacumen, quale illis temporibus, quibus nec ecclesia magnis possessionibus fruebatur nec monachatus institutum aderat, assequi non posset. Deinde locis allatis imprimis clericorum paupertatem postulari non ignoro [93]. Sed quum et Origenes commune quoddam omnium „sacerdotium" cognoverit [94], et clerus usque ad saeculum quartum saepe rebus civilibus implicitus manserit, fieri potuit, ut non solum clericorum, sed etiam laicorum pars, exhortationes Origenis secuta, perfectionem illam evangelicam assequi studeret. Denique Origenis verbis demonstrasse mihi videor, paupertatis voluntariae causas non extra ecclesiam, sed in ipsa sacra scriptura, methodo temporis illius intellecta, satis inveniri [95].

2. Secundum de castitate vel virginitate agendum est, quam quanti aestimaverit Origenes, praepropera sui ipsius detruncatione ostendit. Nec minus in homiliis, commentariis, dogmaticis libris eam summis laudibus effert [96]. Nam quamquam interdum eos vituperat, qui de castitate plus sapiunt quam oportet (I Ti. 4, $_{1-3}$) [97] et contra Celsum „*καὶ γυναῖκας*", inquit, „*ἐὰν βουλώμεθα, ἀξόμεθα καὶ παῖδας διδομένους ἡμῖν ἐν τοῖς γάμοις ἡμῶν ληψόμεθα*" [98]; tamen nequaquam culpabiles esse censet „illos, qui continentiae et virginitatis obtentu necessariis naturae officiis non ministrant", sed „secundum Evangelii leges semet ipsos castraverunt propter regnum Dei, habentes exemplum huius auctorem cum multos alios sanctorum, tum etiam ipsum Dominum Jesum" [99]. Immo „ecclesia Christi gratia eius, qui pro se crucifixus est, roborata, non solum ab illicitis nefandisque cubilibus, verum etiam a concessis et licitis temperat, tamquam iam virgo sponsa Christi castis et pudicis virginibus floret, quibus vera circumcisio, carnis praeputii facta est" [100]. „Ipsa" quidem „abstinentiae ratio diversa est pro voto et proposito

voventis. Alius namque hoc iudicat et ita apud animos suos decernit, ut omnem diem, hoc est, continuum vitae suae tempus exigat in abstinentia. Alius vero tempus aliquod velut votiva professione decernit. In quo sive ut iugem, sive ut temporalem suscipiat continentiam, uniuscuiusque sensibus dat liberam facultatem" [101]. Verumenimvero „si quando accidat aliquem vixisse in continentia tribus aut quattuor annis et eo amplius, alium in verbi et doctrinae studio et sapientiae laboribus operam dedisse; tunc deinde si victus fuerit hic vel ad carnis luxuriam transeat vel ad alia peccata declinet aut ad vitam se transferat saeculi vel ad negotia ac lucra corruptibilis vitae convertat, non dubites de eo dicere, quia „effusi sunt gressus eius" [102]. „Multi enim sunt, qui probant aliquid boni facere: verbi gratia, qui audientes de praemiis castitatis probant et statuunt caste vivere: sed processu temporis vel subripiente negligentia vel superante libidine id, quod observandum probaverant, maculatur et corrumpitur: et est infelix iste, qui in eo, quod observare decreverat, victus semet ipsum iudicat et condemnat. Beatus vero ille est, qui in eo, quod probat et statuit, ita permanet fixus et stabilis, ut in nullo semet ipsum iudicet, in nullo reprehendat" [103]. Deinde gravissimis argumentis saepe castitas commendatur. „Nam principium malorum omnium in lumbo versatur" [104], et, „generationis et libidinis opera gehennae suppliciis corripiuntur" [105]. „Est ergo servus vocatus, qui in coniugio positus venit ad Christum, cui dicitur: „servus vocatus es? nihil ad te attineat: sed et si potes liber fieri, magis utere"; quia in coniugibus alterius continentiae libertas alteri generat periculum castitatis. . . . Liber vero est qui sine uxore per puritatem continentiae venit ad Christum" [106]. Utilis igitur error est, si nonnullae viduae secundas nuptias, nonnulli „*τῶν ἀσκούντων τὴν ἁγνείαν καὶ τὴν καθαρότητα τὴν παντελῆ*" omnino matrimonium propterea vitant, quia sive matrimonium sive secundas nuptias summis suppliciis reprehendi opinantur [107]. „Foveamus igitur et viri uxores nostras, et animae nostrae corpora, ut et

uxores in viros et corpora redigantur in animas et nequaquam sit sexuum ulla diversitas: sed quomodo apud angelos non est vir et mulier, ita et nos, qui similes angelis futuri sumus, iam nunc incipiamus esse, quod nobis in coelestibus repromissum est" [108]. „Puto enim monogamum et virginem et eum, qui in castimonia perseverat, esse de ecclesia Dei; eum vero, qui sit digamus, licet bonam habeat conversationem et ceteris virtutibus polleat, tamen non esse de ecclesia et de eo numero, qui non habent rugam aut maculam aut aliquid istius modi, sed esse de secundo gradu et de his, qui invocant nomen Domini et qui salvantur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronantur ab eo" [109].

Saepe autem virgines, viduae, abstinentes, continentes commemorantur tamquam speciales ecclesiae ordines seu ministeria. Enumerantur igitur „sacerdotes (= episcopi et presbyteri"), diaconi, virgines, continentes, „omnes, qui in professione religionis videntur" [110]; vel „ministeria diaconi, presbyteri, episcopi, viduae, virginis" [111]; vel „per omnes ecclesias Dei magistri, ministri, martyres, virgines, pastores, abstinentes" [112]. Dicuntur „genae" ecclesiae „qui castitatis et pudicitiae excolunt honestatem" [113]. Comparantur „viduae, virgines, martyres cum tricesimis, sexagesimis, centesimis fructibus" [114]; eademque ratione ponuntur secundum dignitatem „apostoli, martyres, virgines, continentes" [115]. Cuius virginitatis Christianae causae aliae sunt ac paganorum abstinentiae: „*ἐν δὲ χριστιανοῖς οὐ διὰ τὰς παρὰ ἀνθρώποις τιμὰς, οὐ διὰ μισθοὺς καὶ ἀργύρια οὐδὲ διὰ δοξάριον ἀσκοῦσι τὴν παντελῆ παρθενίαν· καὶ ὡς ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, τηροῦνται ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἐν δοκίμῳ νῷ καὶ τῷ ποιεῖν τὰ καθήκοντα, πληρούμεναι πάσης δικαιοσυνης καὶ ἀγαθότητος*" [116]. Castitas igitur pretiosissima hostia est, quae Deo offertur, „Vitulus enim est et quidem valde superbus caro tua: quam si vis munus Domino offerre, ut eam castam pudicamque custodias, adduc eam ad ostium tabernaculi, id est, ubi divinorum librorum suscipere possit auditum. Masculinum sit munus

tuum, feminam nesciat, concupiscentiam respuat, fragilitatem refugiat, nihil dissolutum requirat aut molle. Impone etiam manum tuam super hostiam tuam, ut sit accepta Domino, et iugula illam contra Dominum, hoc est, impone ei continentiae frenum et manum disciplinae ne auferas ab ea, sicut imposuit manum carni suae ille, qui dicebat I Co. 9, 27" [117]). „Quod autem perfectiores (apostolus)" dicat hos quos servire Deo nominat, quam illos, quos primo servire iustitiae dixerat, etiam ex hoc probatur, quod horum fructum in sanctificationem posuit (Ro. 6, 22): qui intelligi possunt hi esse, qui se castitati et continentiae devoverunt; illi autem, quos servos dixit esse iustitiae, possunt etiam hi videri, qui in coniugiis positi, tamen et omnibus virtutibus operam praebent" [118]). Illorum autem est circumcisio spiritualis, qui futuro saeculo militant, „in quo neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei", et eorum, qui „se ipsos castraverunt propter regnum Dei" et „quorum in terris ambulantium" „in coelis est conversatio", „quique prospiciunt non ea, quae videntur, sed quae non videntur, et sciunt, quia, quae videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna" [119]). Simul et Nasiraeorum voto comparari potest virginitas. „Ille enim, qui appelatur Nazaraeus, se ipsum devovit Deo; hoc est enim votum Nazaraei, quod est super omne votum. Nam filium offerre vel filiam aut pecus aut praedium, hoc totum extra nos est. Semet ipsum Deo offerre et non alieno labore, sed proprio placere, hoc est perfectius et eminentius omnibus votis: quod qui facit, imitator est Christi. Ille enim dedit homini terram, mare et omnia, quae in eis sunt; ad obsequium dedit et coelum, solem quoque et lunam ac stellas hominum ministerio concessit: pluvias, ventos et omne, quicquid in mundo est, hominibus largitus est. Sed post haec omnia semet ipsum dedit. Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundi huius vita. Quid ergo magnum faciet homo, si semet ipsum offerat Deo, cui ipse se prior obtulit Deus? Si ergo

tollas crucem tuam et sequaris Christum; si dicas „vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus", si desideret et sitiat anima nostra redire et esse cum Christo, sicut et apostolus dicebat, et praesentis saeculi non delectetur illecebris, et si omnem legem, quae de Nazaraeis data est, spiritualiter impleat, tunc semet ipsum, id est, animam suam, obtulit Deo. Qui in castitate vivit, corpus suum vovit Deo secundum eum, qui dixit: „virgo autem cogitat, quomodo sit sancta corpore et spiritu" (I Co. 7, 31). Nam et hoc ipsum, quod dixit „sancta", ad hoc respicit; sancti enim dicuntur illi, qui se voverunt Deo. Unde et aries, verbi causa, si vovetur Deo, sanctus appellatur, quem tonderi ad communes usus non licet. Sed et vitulus si devotus fuerit Deo, sanctus nihilominus appellatur nec licet eum iungi in opus commune. Ex iis ergo colligamus, quid est, hominem se ipsum vovere Deo. Si te voveris Deo, imitandus tibi est vitulus, quem non licet humanis operibus deservire, nihil facere, quod ad homines et ad praesentem pertineat vitam. Sed quicquid ad animam pertinet et ad divini cultus observantiam, hoc et agendum et cogitandum tibi est"[120]). Tales igitur sunt, „qui militant Deo: illi sine dubio, qui se non obligant negotiis saecularibus; et isti sunt, qui procedunt ad bellum et pugnant adversus gentes inimicas et adversum spirituales nequitias pro reliquo populo et pro iis, qui infirmiores sunt sive per aetatem sive per sexum sive per propositum. Pugnant autem isti orationibus et ieiuniis, iustitia et pietate, mansuetudine et castitate cunctisque continentiae virtutibus tamquam armis bellicis communiti; et cum regressi fuerint ad castra victores, fruuntur laboribus eorum etiam imbelles et ii, qui ad pugnam vel non vocantur vel exire non possunt"[121]). Illae autem „sanctae et immaculatae animae, si cum omni affectu omnique puritate se voverint Deo et alienas ab omni daemonum contagione se servaverint et per multam abstinentiam purificaverint se et piis ac religiosis imbutae fuerint disciplinis, participium per hoc divinitatis assumunt et prophetiae ac ceterorum divinorum donorum gratiam meren-

tur"[122]). Isti sunt propter castitatem sicut pueruli regnique divini participes (Mt. 18, 1 ss)[123]). Deinde alio loco Origenes comparat virginitatem et continentiam cum iis fidelium operibus, „quae fiunt ad utilitatem hominum" (utputa eleemosynae, infirmorum visitationes, peregrinorum susceptiones, humilitas, mansuetudo, indulgentia). „Haec qui facit in Christianos, pedes Domini ungit unguento .... Qui autem castitati studet, in ieiuniis et orationibus permanet, in adversis patientiam habet sicut Job, in tentationibus veritatem Dei non timet confiteri: — quae omnia ceteris hominibus nihil prosunt, sed tantum ad gloriam Dei proficiunt —: hoc est unguentum, quod ungit caput Domini Christi, „et exinde per totum corpus Christi, id est, per totam decurrit ecclesiam; et hoc est unguendum valde pretiosum, ex cuius odore tota repletur domus, hoc est ecclesia Christi. Et hoc opus est proprium non poenitentium, sed perfectorum sanctorum"[124]). Denique virgines tali perfecta, continua, sancta ratione Deo serviunt, quali alii Christiani nequeunt. Soli enim illi sacrificium indesinens Deo offerunt. „Prima enim est festivitas Dei, quae appellatur indesinens (Nu. 28, 3 ss); de eis enim mandatur, quae indesinenter et sine ulla prorsus interruptione matutinis et vespertinis sacrificiis offerantur.... Hanc primam posuit, in qua sacrificium indesinens mandat offerri: quo scilicet agnoscat ille, qui vult esse perfectus et sanctus, quia non aliquando quidem agenda est Deo, aliquando vero non agenda festivitas, sed semper et indesinenter iustus agere debet diem festum. Sacrificium namque, quod indesinenter et in matutinis et in vespertinis mandatur offerri, hoc indicatur, ut in lege ac prophetis, quae matutinum tempus ostendunt, et in evangelica doctrina, id est enim vespertinum, quae vespera mundi Salvatoris ostendit adventum, indesinenti intentione persistat.... Dies ergo festus est Domini, si et sacrificium indesinens offeramus, si sine intermissione oremus, ita ut ascendat oratio nostra sicut incensum in conspectu eius mane et elevatio manuum nostrarum fiat ei sacrificium vespertinum.

Est igitur prima sollemnitas sacrificii indesinentis, quae a cultoribus Evangelii eo modo, quo supra exposuimus, debet expleri. Sed quoniam sicut propheticus sermo perdocuit, dies festi peccatorum convertuntur in luctum et cantica eorum in planctum, certum est, quia, qui peccat et agit diem peccati, non potest agere diem festum: et ideo illis diebus, quibus peccat, offerre non potest indesinens sacrificium Deo. Sed ille offerre potest, qui indesinenter custodit iustitiam et conservat semet ipsum a peccato. Qua die autem interruperit et peccaverit, certum est, quod in illa die non offert sacrificium indesinens Deo. Vereor aliquid dicere, quod ex sermonibus Apostolicis intelligi datur, ne forte videar aliquos contristare. Nam si oratio iusti, sicut incensum offertur in conspectu Domini et elevatio manuum eius sacrificium est vespertinum, dicit autem apostolus iis, qui in coniugiis sunt (I Co. 7,5): „Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi et iterum in id ipsum sitis“ — certum est, quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui coniugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti et perpetuae se devoverit castitati“ [125]). Itaque ut imprimis, ut magistri et spiritualis scientiae participes castitatis frenis contineantur, postulat [126]); ita generatim, ut quam plurimi perfectam virginitatem servent, exoptat. „*Δώσει οὖν τὸ ἀγαθὸν δόμα, τὴν παντελῆ καθάρευσιν ἐν ἀγαμίᾳ καὶ ἁγνείᾳ ὁ θεὸς τοῖς ἐξ ὅλης ψυχῆς καὶ μετὰ πίστεως καὶ ἀδιαλείπτως ἐν προσευχαῖς αἰτοῦσιν αὐτόν*“ [127]).

Itaque Origenes permultis causis commendat virginitatem et castitatem: „lege evangelii“, exemplis Domini, angelorum, sanctorum multorum, apostolorum; studio perfectae scientiae et sapientiae divinae; orationis perpetuae spe; claritate indesinentis et pleni sacrificii; spiritualis circumcisionis nomine, praeclaro Nasiraeorum voto; libertate et disciplina et religione hominis; moribus, honoribus, laudibus, institutis ecclesiae; praemiis terrestribus et aeternis, turpitudine et poenis con-

cupiscentiae; inferiore coniugalis vitae gradu; puritate et sanctitate propositi; stabilitatis et perfectionis gloria; communione apostolorum et martyrum; forma conversationis coelestis. Quarum causarum copiam posterioris monasticae castitatis laudatores ac defensores vix una augebant, sed universam similibus verbis denuo semper repetebant. Neque quicquam aliud de castitatis ac de paupertatis studio et proposito dicendum est. Utrumque enim ut ab Origene, ita a posterioribus monachatus praeconibus non tam philosophicis vel ethnicis argumentis, quam locis, nominibus, institutis, exemplis sacrae scripturae, modo ac methodo illius temporis adhibitae, postulatum, commendatum, defensum est.

3. Transeamus ad contemplationem, quae et ab Origene et a multis monachis quarti saeculi ita exercitata est, ut non solum cum oratione perpetua et continua sacrarum scripturarum meditatione, sed etiam saepe cum philosophiae studio quodam coniungeretur. Sic enim et Dei cognitio et vera *γνῶσις* et divina philosophia et perfectio moralis seu *ἀπάθεια* comparari posse videbantur.

Quadecausa Origenes in ecclesia existimat esse „altare incensi, quicumque orationibus et ieiuniis die ac nocte vacant in templo Dei, orantes non solum pro semet ipsis, sed et pro universo populo“ [128]). Neque tamen idcirco philosophiam prorsus negligendam esse arbitratur, quippe quae scientiae evangelicae consentire vel servire possit. Nam „studiosi et sapientes saeculi“, „philosophiae operam dantes, licet non integram et perfectam regulam pietatis attigerint, tamen senserunt Deum patrem et regem esse omnium, id est, qui genuerit et regat universa. Isti ergo, quantum ad ethicam, id est, moralem philosophiam spectat, etiam puritati cordis operam dedisse aliquatenus comprobantur et omni animo omnique studio divinae virtutis inspirationem quaesiisse“ [129]). Deinde: „si meministis, quomodo in superioribus diximus de Abimelech, quod personam teneat studiosorum et sapientium saeculi, qui per eruditionem philosophiae multa etiam ex veritate comprehenderunt, intelligere potestis, quomodo hic cum Isaac, qui verbi Dei, quod in lege est, tenet

figuram, neque in dissensione semper potest esse neque semper in pace. Philosophia enim neque in omnibus legi Dei contraria est neque in omnibus consona. Multi enim philosophorum unum esse Deum, qui cuncta creaverit, scribunt. In hoc consentiunt legi Dei. Aliquanti etiam hoc addiderunt, quod Deus cuncta per Verbum suum et fecerit et regat, et Verbum Dei sit, quo cuncta moderentur. In hoc non solum legi, sed etiam evangeliis consona scribunt. Moralis vero et physica, quae dicitur philosophia, paene omnia, quae nostra sunt, sentiunt"[130]. Insuper Christiani, eruditione litterarum et philosophia instructi, philosophos ipsorum „rationibus et artibus superantes", ut „veram philosophiam Christi et veram pietatem Dei suscipiant", permovebunt[131].

Ecclesia igitur et activae et contemplativae vitae locum praebet: „*ὄργανόν ἐστι ἐκκλησία θεοῦ, ἀπὸ θεωρητικῶν καὶ πραγματικῶν συνεστῶσα ψυχῶν*"[132]. Et melius esset, si fieri posset, ut omnes philosophiae et contemplationi operam darent: „*εἰ μὲν οἷόν τε πάντας καταλιπόντας τὰ τοῦ βίου πράγματα σχολάζειν τῷ φιλοσοφεῖν, ἄλλην ὁδὸν οὐ μεταδιωκτέον οὐδενὶ ἢ ταύτην μόνην*"[133]. Nam „*σχολῆς χρεία πρὸς τὸ γνῶναι τὸν κύριον*"[134], et tali contemplatione convertimur[135] et renovamur[136]. Moleste igitur ferendum est, quod pauci tantum totam vitam talibus studiis consecrant. Sunt enim „*πάνυ ὀλίγοι οἱ πάντα τὸν βίον ἑαυτῶν ἀναθέντες κατὰ τὴν Ἰησοῦ ἐντολὴν τῷ ἐρευνᾷν τὰς γραφάς· καὶ μᾶλλον τῶν φιλοσοφησάντων Ἑλλήνων περί τινος νομιζομένης ἐπιστήμης ἀνάληψιν, κεκμηκότες περὶ τὴν ἐξέτασιν τοῦ βουλήματος τῶν ἱερῶν γραμμάτων*"[137]. Deinde, quantum intersit inter talem Christianum philosophum, scripturae peritum, et ceteros homines, allegorica methodo ita exponitur: „Hi ergo, qui verbi Dei et rationabilis instituti studium gerunt, homines apellantur. Qui vero absque huiusmodi studiis vivunt et scientiae exercitia non requirunt, fideles tamen sunt, animalia quidem, sed munda dicuntur. . . Immunda animalia sunt homines, qui extra Christum sunt, inquibus neque ratio neque religio ulla est"[138]. Similiter diversa hominum genera cum sacrificiorum generibus allegorice comparantur:

Qui „rationabiliter vivit", vitulum offert; cum carnis superbiam vicerit, ovem; cum irrationabiles motus insipientesque correxerit, hoedum; cum lasciviam superaverit, par turturum; cum non fuerit solus, sed mentem suam verbo Dei velut vero coniugi sociaverit, duos pullos columbarum, cum et ipse intellexerit mysterium". Contra „homo naturalis, (qui etiam si peccatis non urgeatur nec sit praeceps ad vitia, non tamen habet aliquid in se spirituale et, quod figuraliter carnes verbi Dei reputentur)" offert solam similam et panes azymos, id est, „communem hanc vitam, verbi gratia, in agricultura aut in navigando aut in aliquibus communis vitae usibus positam" [139]). Ideo „et in ecclesia, licet omnes intra unam fidem contineantur atque uno baptismate diluantur, non tamen unus omnibus atque idem profectus est, sed unusquisque in suo ordine. Hi quidem, qui per rationabilem scientiam vivunt et idonei sunt non solum semet ipsos regere, sed et alios docere, quoniam valde pauci inveniuntur, paucorum, qui cum ipso Noe salvantur et proxima ei propinquitate iunguntur, tenent figuram: sicut et Dominus noster, verus Noe, Christus Jesus paucos habet proximos, paucos filios et propinquos, qui verbi eius participes sunt et sapientiae capaces" [140]). Tales autem homines, contemplationi dediti thesauros coelestes parant [141]), mensa mystica a Deo ornata utuntur [142]), honorant Dominum [143]), veris deliciis fruuntur [144]), columbarum alis evolant [145]). Quae alia allegoria ita exponuntur: „Jacob habendus est in eorum personis, qui in actibus et opere perfecti sunt; Israel vero illi intelligendi sunt, qui studium erga sapientiam gerunt. Quia ergo operum gestorumque exercitia certo fine clauduntur — neque enim sine fine est operum perfectio — ubi adimplevit quis omnia, quae facere debuit, et ad finem perfectionis operum venerit, perfectio ipsa operum bona domus eius esse dicitur. Eorum vero, qui sapientiae et scientiae operam dant, quoniam finis nullus est — quis enim terminus Dei sapientiae erit? Ubi quanto amplius quis accesserit, tanto profundiora inveniet, et quanto magis scru-

tatus fuerit, tanto ea ineffabiliora et incomprehensibiliora deprehendet; incomprehensibilis enim et inaestimabilis est Dei sapientia — idcirco eorum, qui iter sapientiae Dei incedunt, non domos laudat; non enim pervenerunt ad finem, sed tabernacula miratur, in quibus semper ambulant et semper proficiunt, et quanto magis proficiunt, tanto iis proficiendi via augetur et in immensum tenditur, et ideo istos ipsos profectus eorum per spiritum contuens tabernacula ea nominat. Israel" etc. [146]). Simili modo: „οἱ μὲν θεωρητικοὶ ἐν οἴκῳ θεοῦ εἰσιν, οἱ δὲ πράκτικοι ἐν αὐλαῖς οἴκου θεοῦ ἡμῶν" [147]). Illi autem imitantur Mariam et apostolos. Nam „semper et indesinentor eius pedibus assident, vacantes ad hoc solum, ut audiant verbum eius, nequaquam perturbati erga multum ministerium, sed optimam partem eligentes, quae non auferetur a nobis. Et utique, qui sic accedunt ad eum, multo amplius ex eius lumine consequuntur. Si vero sicut apostoli nusquam omnino moveamur ab eo, sed semper cum eo permaneamus in omnibus tribulationibus eius, tunc nobis secreto ea, quae ad turbas locutus fuerat, exponit atque dissolvit et multo clarius illuminat nos. Si vero etiam talis quis fuerit, ut possit in montem ascendere cum eo, sicut Petrus et Jacobus et Joannes, iste non solum Christi lumine, sed etiam patris ipsius illuminabitur voce" [148]). Quare sicut Petrus ὁ τὸν θεωρητικόν γε ἀγαπήσας βίον καὶ τὸ ἐν αὐτῷ τερπωλὸν προκρίνας τοῦ ἐν πολλοῖς εἶναι μετά τινος ὀχλήσεως" contemplatione et ipsam Domini transfigurationem videbit [149]), nec minus „habitat ad puteum visionis" [150]) „acceptasque Deo primitias gaudio offert" [151]). Idem semper observat sabbatum Christianum, festivitatem gerit memoriae tubarum [152]), mansuetudine perficitur [153]), proeliatur proelia Domini [154]), gravissimis tormentis daemones afficit [155]). Deinde sacro Levitarum nomine significantur ei, „quorum sors Dominus est", quia „nullis corporeae naturae obstaculis hebetati, sed omnium visibilium gloriam supergressi, in sola sibi sapientia Dei et verbo eius vivendi usum exercitiumque posuerunt, qui corporeum nihil requirunt, nihil rationis alienum. Concupierunt enim sapientiam, concupierunt secretorum Dei agnitio-

nem; et ubi est cor eorum, ibi est et thesaurus eorum. Isti ergo haereditatem non habent in terris, sed supergrediuntur summa coeli fastigia et ibi semper in Domino, semper in verbo eius, semper in sapientia et in voluptate scientiae eius deliciabuntur" [156]). Eidem coniunguntur cum Deo, sponsum habent Christum [157]), sunt „sedes Dei", in quibus Deus ipse requiescit, residet, inhabitat, inambulat [158]). „Ideo omni virtute nitendum est, ut ab occupationibus saeculi et a mundanis actibus liberi et ipsas etiam, si fieri potest, superfluas sodalium fabulas relinquentes, verbo Dei operam demus et in lege eius meditemur die ac nocte" [159]). Corpus autem nihili est. „Nam quid mihi prodest ad beatitudinem et ad vitam aeternam, si corpus exercitationibus roboretur? Quod mihi est emolumentum, etiamsi fortissimo corpore fiam, etiamsi omnibus membris vegetus incedam? E contrario autem, si sensus animae habuero exercitatos ad sentiendum quid, ad discendum dies noctesque contrivero, non solum in hac vita mihi conducit, sed etiam recedentem de corpore prosequetur" [160]). Verumenimvero „non est possibile prius videre visum magnum, id est, intueri atque perspicere magna mysteria stanti in conversatione et actibus mundi huius; sed transire oportet prius ab his et transscendere omnia saecularia et sensum nostrum ac mentem liberam fieri et tunc ad magnarum et spiritualium rerum intuitum pervenire et ita demum visum magnum videre. . . . Magna ergo est visio, cum puro corde Deus videtur. Magna est visio, cum puro corde verbum Dei et sapientia Dei, qui est Christus eius, agnoscitur. Magna visio est agnoscere et credere in Spiritum Sanctum. Magna ergo haec visio scientia Trinitatis est" [161]). — Sed haec hactenus. Eis enim, quae attulimus, quamquam multis locis atque argumentis confirmari possunt, satis manifestum est, Origenem vitam contemplativam, sapientiae, gnosi, scripturae sacrae studio, meditationi, philosophiae deditam, non solum ipsum coluisse, sed etiam discipulis suis populoque Christiano scriptis et sermonibus quam plurimum commendasse. Neque multum inter eam contemplationem, quam Origenes maxime aestimabat et postulabat, et inter vitam contemplativam monachorum interest.

4. Quartum monachatus signum anachoresis est. Quae tamen non solum in vastis et desertis locis, sed etiam fuga, peregrinatione et in ipsis urbibus quodammodo fieri potest. Itaque, etsi plenam anachoresin solitudine et locis remotis perfici concedemus, tamen et complures gradus anachoreseos esse et vitam solitariam etiam in civitatibus coli posse censemus. Neque enim secedere loco, sed renuntiare prorsus omnibus rebus publicis, civilibus, ecclesiasticis, familiaribus anachoreseos principale ac proprium videtur esse. Ab Origene vero non solum spiritualem anachoresin laudibus elatam et exoptatam, sed etiam externam et localem vario modo praeparatam esse demonstrari potest.

Equidem ab Origene interdum localem anachoresin reiectam esse non ignoro. „Sed et tu“, inquit, „qui sequeris Christum et imitator eius es, si permaneas in verbo Dei, si in lege eius mediteris die ac nocte, si in mandatis eius exercearis, semper in sanctis es nec unquam inde discedis. Neque enim in loco sancta quaerenda sunt, sed in actibus et vita ac moribus. Quae si secundum Deum sint et secundum praeceptum Dei habeantur, etiamsi in domo sis, etiamsi in foro, — et quid dico in foro? — etiamsi in theatro inveniaris verbo Dei deserviens, in sanctis te esse non dubites. Aut non tibi videtur Paulus quum ingressus est theatrum vel cum ingressus est Areopagum et praedicavit Atheniensibus Christum, in sanctis fuisse“ [162])? Nec minus ille „*ἀνακεχωρηκὸς βίος*“, de quo Origenes interdum agit, ista vitae ratio est, quae factis, verbis, moribus, sapientia ita a multitudinis consuetudine differt, ut propter singularitatem anachoretica appellari possit [163]). Denique nota etiam ea sunt, quae Origenes Celso accusanti opponit: „*ἐὰν δὲ δέῃ καὶ τῶν ἐν τῷ βίῳ μεθέξομεν, ἀνεχόμενοι τῶν ἐπιτεταγμένων κακῶν ὡς πειρασμῶν τῆς ψυχῆς*“ [164]) et: „*καὶ οὐ φεύγοντές γε τὰς κοινοτέρας τοῦ βίου λειτουργίας Χριστιανοὶ τὰ τοιαῦτα περιΐστανται· ἀλλὰ τηροῦντες ἑαυτοὺς θειοτέρᾳ καὶ ἀναγκαιοτέρᾳ λειτουργίᾳ ἐκκλησίας θεοῦ, ἐπὶ σωτηρίᾳ ἀνθρώπων*“ [165]).

Verumenimvero saepissime Origenes de contemnendo mundo, de saecularibus negotiis et occupationibus, de curis et illece-

bris rerum mundanarum ita agit, ut vera et localis anachoresis Christianae religioni multo melius respondere videatur quam disciplina atque abrenuntiatio spiritualis[166]). Nec paucae inveniuntur causae, quibus permoti Christiani vitam solitariam eligere possint. Ea igitur, quae Origenes ad locum Luc. 1, 80 de Joanne baptista exponit, laudes vitae anachoreticae videntur esse: „Digne igitur, qui sic conceptus fuerat et natus, non exspectavit, ut a patre nutriretur usque ad diem ostensionis suae ad Israel, sed recessit, fugiens tumultum urbium, populi frequentiam, viciniam civitatum et abiit in deserta, ubi purior aer erat et coelum apertius et familiarior Deus: ut, quia necdum sacramentum baptismi nec praedicationis tempus advenerat, vacaret orationibus et cum angelis conversaretur appellaretque Dominum et illum audiret respondentem atque dicentem: ecce adsum“[167]). Simili autem modo Petrus vocatur „*τὸν θεωρητικόν γε ἀγαπήσας βίον καὶ τὸ ἐν αὐτῷ τερπωλὸν προκρίνας τοῦ ἐν πολλοῖς εἶναι μετά τινος ὀχλήσεως*“[168]). Deinde gaudia saeculi falsa[169]), curae perniciosae, negotia periculosa dicuntur[170]). Itaque non solum necesse est, Christiani „se separent ab omni fratre inquiete ambulante[171]), sed etiam „omni virtute nitendum est, ut ab occupationibus saeculi et a mundanis actibus liberi, et ipsas etiam, si fieri potest, superfluas sodalium fabulas relinquant“[172]). Aliam causam affert Origenes, ubi ad Jeremiae locum 20, 9 haec addit: „*λέγει οὖν πεπονθώς τι ἀνθρώπινον, ὃ καὶ ἡμεῖς κινδονεύομεν πολλάκις πεπονθέναι. Καὶ μάλιστα, εἴτις συνοῖδεν ἑαυτῷ διὰ τὴν διδασκαλίαν ποτὲ καὶ τὸν λόγον ταλαιπωρήσαντι καὶ παθόντι καὶ μισηθέντι· πολλάκις λέγει· ἀναχωρῶ, τίμοι καὶ πράγμασιν, εἰ ἐκ τούτου μισητός εἰμι, ἐκ τοῦ διδάσκειν, ἐκ τοῦ προΐεσθαι τὸν λόγον. Διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀναχωρῶ ἐπὶ τὴν ἐρημίαν καὶ τὴν ἡσυχίαν*“[173]); Sed et honores saeculi fugiendi sunt: „*ὥσπερ δὲ διὰ τῶν τοιούτων διδάσκει ἡμᾶς ἐν διωγμοῖς καί ταῖς καθ᾽ ἡμῶν ἐπιβουλαῖς ἀναχωρεῖν, οὕτως ἐν ἄλλοις εὕροις ἂν καὶ ἀπὸ τῶν νομιζομένων εἶναι ἐν κόσμῳ καλῶν ἀναχωροῦντα, ἵνα καὶ διὰ τού-*

των διδάξῃ φεύγειν τὰ ἐν τῷ κόσμῳ ἀξιώματα καὶ τὰς ἐν αὐτῷ ὑπεροχάς" [174]). Nam „perfecto Christiano, qui tollit crucem suam et sequitur Christum, qui potest dicere „mihi enim mundus crucifixus est et ego mundo", cuncta calcantur, cuncta subiecta sunt. Despicit enim et contemnit omnia, quae in hoc mundo sunt et imitatur eum, qui leo de tribu Juda dicitur" [175]). Neque, si fieri posset, ut omnes huius vitae rebus renuntiarent, philosophiae studiis vacaturi, alia via ingredienda esset [176]). Accedit, quod etiam dominus discipulis suis verbum Dei et mysteria divina „μάλιστα ἐν ταῖς ἀναχωρήσεσιν" enarraverit [177]). Deinde etiam inter ipsos „bellatores Dei", iam supra laudatos, summis laudibus efferuntur alii „ita parati et expediti, ut nullis se implicent omnino negotiis saecularibus, ut placere possint ei, cui se probaverunt, sed in lege Dei meditari die ac nocte. Isti ergo, qui huiusmodi sunt, summa bellatorum appellantur" [178]). Contra mundus „Videte", inquit, „quomodo seducuntur homines et pervertuntur, quales adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid, quod iis prosit, relictis rebus necessariis et utilibus ineptias sectantur et otium! Quid est servire Domino? Laborare nolunt et inertis otii occasiones quaerunt" [179]). Attamen ipsam sanctificationem homines assequi nequeunt nisi anachoresi quadam: „Si quis enim se ipsum devoverit Deo, si quis nullis se negotiis saecularibus implicaverit, ut ei placeat, cui se probavit: si quis separatus est et segregatus a reliquis hominibus carnaliter viventibus et mundanis negotiis obligatis, non quaerens ea, quae super terram, sed quae in coelis sunt: iste merito sanctus appellatur. Donec enim permixtus est turbis et in multitudine fluctuantium volutatur nec vacat soli Deo neque segregatus a vulgo est, non potest esse sanctus.... Tu ergo qui haec audis, cui lex divina recitatur, quam ipsius etiam Dei sermo convenit dicens: „sancti estote, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester" sapienter intellige, quae dicuntur, ut sis beatus, cum feceris ea. Hoc est enim, quod dicitur tibi: „separa te ab omni non solum homine, sed et

fratre inquiete ambulante et non secundum traditiones apostolicas. „Separamini etenim, qui portatis“, inquit, „vasa Domini et exite de medio eorum“ dicit Dominus. Separa te a terrenis actibus, separa te a concupiscentia mundi: „omne enim, quod in mundo est, secundum Apostolum, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum, quae non est a Deo“. Cum ergo separaveris te ab his omnibus, devove te Deo tamquam primogenitum vitulum: non operetur per te peccatum nec iugum tibi imponat malitia: sed esto semotus et segregatus, usibus tantum sacerdotalibus tamquam primogenitum animae mancipatus. Segrega te et secerne tamquam phialae sanctae et sancta thuribula, solius templi usibus et Dei ministerio vacans. Separa te et semove ab omni pollutione peccati et esto semotus et segregatus intra templum Dei tamquam sancta indumenta pontificis. In templo namque Dei est segregatus et separatus ille, qui in lege Dei meditatur die ac nocte et qui in mandatis eius cupit nimis. „Sancti ergo estote, dicit Dominus quia et ego sanctus sum“. Quid est: „quia et ego sanctus sum“? Sicut ego, inquit, segregatus sum et longe separatus ab omnibus, quae adorantur vel coluntur sive in terra sive in coelo: sicut ego excedo omnem creaturam atque ab universis, quae a me facta sunt, segregor: ita et vos segregati estote ab omnibus, qui non sunt sancti nec Deo dicati. Segregari autem non locis, sed actibus nec regionibus, sed conversationibus. Denique et ipse sermo in Graeca lingua, quod dicitur *ἅγιος*, quasi extra terram esse significat. Quicumque enim se consecraverit Deo, merito extra terram, extra mundum videbitur: potest enim et ipse dicere: super terram ambulantes conversationem in coelis habemus. . . . Sed et si nos ipsos consecramus et offerimus Deo aut etiam si alios vovemus, observemus hunc laqueum, ne forte, posteaquam nos Deo voverimus, iterum humanis usibus vel actibus subiugemur. Vovet autem se unusquisque verbi gratia, sicut Nazaraei. faciebant, tribus aut quattuor aut, quot placuisset, annis, templo se consecrantes Dei, ut ibi semper vacarent observantes illa, quae de Nazaraeis scripta sunt. . . Sed et alium quis ita vovet Deo sicut Anna fecit Samuelem. . . . .

Ex quibus omnibus clarum est, quomodo unusquisque nostrum, qui vult esse sanctus, consecrari debeat Deo et nullis praeterea negotiis vel actibus, qui ad Deum minime pertinent, occupari“[180]). Itaque verba Psalmi „*ἐξέλιπεν ἡ καρδία μου καὶ ἡ σάρξ μου κτλ.*“ ita explicantur: „*ἀπὸ τῶν βιωτικῶν δηλαδὴ καὶ ἀνθρωπίνων πράξεων. Ὅταν γὰρ ἐκεῖθεν ἐκλίπῃ, τουτέστιν ἀπάντων ἀναχωρήσῃ, τότε μερίδα τὸν θεὸν εἰς τὸν αἰῶνα ἕξει. „Καὶ ἡ μερίς μου ὁ θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα κτλ. Μερὶς τοῦ δικαίου ἐστὶν ἡ γνῶσις ἡ τοῦ θεοῦ*“[181]). „Nisi enim spreta fuerint et contempta ea, quae delectare videntur in terris, ad coelestia transire non possumus“[182]). Tunc autem, „si omnia corporalia despexisti, non dico carnem et sanguinem, sed argentum et possessiones, sed ipsam terram ipsumque coelum, — haec quippe transibunt —: si ista omnia contemsisti et ad nullum horum anima tua obligata est neque quoquam vitiorum amore retineris, potes amorem capere spiritualem.... Est quidam spiritualis amplexus atque utinam contingat, ut meam sponsam arctius sponsi amplexus includat, ut ego quoque possim dicere, quod in eodem libro scriptum est: „sinistra eius sub capite meo et dextra illius amplexabitur me... Communica ut sponsa cum sensibus sponsi; et scias, quia inebriant atque laetificant istius modi cogitatus... Si autem et ad meam animam factam sponsam suam sponsus venire dignabitur, quam oportet esse formosam, ut illum de coelo ad se trahat, ut descendere faciat ad terras, ut veniat ad amatam“[183])? —

Quibus locis ab Origene saepe anachoresin quandam laudatam et postulatam esse elucet. Quae si plerumque allegorica interpretatione et mystica explicatione spiritualiter describitur, tamen exhortationes illas et laudes a plebe facile locali et externo sensu intelligi et adhiberi potuisse negari non potest. Quibus de causis Origenes vitam anachoreticam, si noluit, invitus descripsit eremitarumque propositum adiuvit.

5. De exercitiis asceticis pauca tantum afferenda sunt et, quia multo clarius Origenes vitae disciplina quam verbis et

scriptis asceseos studia cognosci possunt, et quod illis temporibus asceticae disciplinae varios modos et multa instituta in tota ecclesia floruisse inter omnes constat. „Ipsa enim abstinentiae ratio diversa est pro voto et proposito voventis“ [184]). Origenes principium videtur fuisse illud „in quo carni malefacit homo, spiritui benefacit“ [185]) ita, ut ei „moralis doctrina“ „rationi continentiae“ paene par esset [186]). Postulantur igitur orationes, ieiunia, sanctificationis exercitia [187]). „Debet enim Dei verbum et Deus homo ea proferre, quae saluti sunt audienti, quae illum hortentur ad continentiam, ad conversationem sanorum actuum, ad cuncta, in quae homo studiosus laborum et non libidinum debet incumbere, ut possit ea consequi, quae a Deo sunt repromissa“ [188]). „Carnem igitur abstinentia, vigiliis, meditationum labore conficere“ est „offerre Deo byssum tortam“ [189]); et „si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit et ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei et ipse meae hostiae sacerdos efficior“ [190]). Et: „calcare libidinem, fugere luxuriam omnesque voluptates corporis premere ac frenare, hoc est principatum gerere totius Aegypti“ [191]). Praeclarum talis asceseos exemplum Jeremias propheta est: „*Ἵνα δὲ μᾶλλον νοήσῃς τὸ· „ταλαιπωρίαν ἐπικαλέσομαι“* (Jerem. 20, 8) *διαγράψω ὅτι γινόμενον τοῖς ἀσκηταῖς. Πολλάκις γὰρ παρακειμένου τοῦ γῆμαι καὶ μὴ ἔχειν πρᾶγμα ἐπανισταμένης τῆς σαρκὸς τῷ πνεύματι, αἱρεῖται τις οὐ καταχρήσασθαι τῇ τοῦ γαμεῖν ἐξουσίᾳ, ἀλλὰ ταλαιπωρεῖν καὶ κάμνειν, ὑπωπιάζειν τὸ σῶμα νηστείαις καὶ δουλαγωγεῖν αὐτὸ ἀποχαῖς τοιῶνδε βρωμάτων καὶ παντὶ τρόπῳ τῷ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦν. Ἆρ᾽ ὁ τοιοῦτος οὐ τὴν ταλαιπωρίαν ἐπεκαλέσατο, παρὸν ἐπιδοῦναι ἑαυτὸν τρυφῇ καὶ ἡδονῇ καὶ μὴ ἐπικαλεῖσθαι τὴν ταλαιπωρίαν; εἴ τις οὖν δύναται μιμεῖσθαι τὸν προφήτην, καὶ ἀθεσίαν, ὡς διηγησάμεθα, ἐπικαλείσθω καὶ ταλαιπωρίαν δὲ ἐν ταῖς ἀσκήσεσιν ἐπικαλείσθω*“ [192]). Tum „sanctae et immaculatae animae si cum omni affectu omnique puritate se voverint Deo et alienas se ab omni daemonum contagione servaverint et per multam abstinentiam purificaverint se et piis ac religiosis imbutae fuerint disciplinis, participium per hoc divi-

nitatis assumunt et prophetiae ac ceterorum divinorum donorum gratiam merentur“ [193]). „*Διὰ τοῦτο πᾶς διαλογισμὸς ἡμῶν καὶ νόημα καὶ πᾶς λόγος καὶ πᾶσα πρᾶξις γενέσθω τῆς ἡμῶν περὶ ἑαυτῶν μὲν ἀρνήσεως, περὶ δὲ Χριστοῦ καὶ ἐν Χριστῷ μαρτυρίας· πείθομαι γὰρ πᾶσαν τὴν τοῦ τελείου πρᾶξιν μαρτύριον εἶναι Χριστοῦ Ἰησοῦ καὶ τὴν πάσης ἁμαρτίας ἀποχὴν ἄρνησιν εἶναι ἑαυτοῦ, φέρουσαν ὀπίσω τοῦ Ἰησοῦ. Ὁ δὲ τοιοῦτος Χριστῷ συνεσταύρωται καὶ ἄρας τὸν σταυρὸν ἑαυτοῦ ἀκολουθεῖ τῷ δι' ἡμᾶς βαστάζοντι τὸν ἑαυτοῦ σταυρόν*“ [194]).

6. Mirum videri potest, quod Origenem de vita communi agere contendamus, quum „coenobia“ multis annis postquam anachoretae exorti sunt, condita esse plerique existimare soleant. Sed vita communis ab Origene, etsi non spectata aut instituta, tamen exoptata, postulata, brevi descripta est. Etenim quum in explicando evangelii Matthaei capite 19. locos Act. 2, $_{24}$ 4, $_{32}$ ss. 5, $_{1-10}$ attulerit, haec addit: „*ταῦτα δὲ ἡμῖν ὅλα εἴρηται βουλομένοις κατασκευάσαι τὸ δυνατὸν εἶναι, βουληθέντα τινὰ τέλειον γενέσθαι, πεισθῆναι τῷ Ἰησοῦ λέγοντι· ὕπαγε, πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα καὶ δὸς πτωχοῖς. Γενναίων δ' οἶμαι καὶ ἐχόντων τὰ χαρακτηρίζοντα τὸν ἐπίσκοπον πάντα, ἔργον ἦν, προτρέψασθαι τοὺς καὶ δυναμένους καὶ πειθομένους τῇ προτροπῇ καὶ διὰ τοῦ παρέχειν ἐκ τοῦ κοινοῦ αὐτοῖς τὰ ἐφόδια καὶ ἄλλους ἐπὶ τοῦτο παρακαλεῖν· ἐγένετο γὰρ ἂν εἰκών τις τοῦ κατὰ τοὺς ἀποστόλους τῆς συμφονίας τῶν πιστευόντων βίου*“ [195]). Quibus verbis vita communis dilucidissime proposita est: ut adhortante episcopo Christiani nonnulli, divites ac prompti, rei familiari renuntient, communi ecclesiae arca alantur, alios inveniant imitatores, et communi omnes vita apostolicae conversationis et concordiae imaginem in ecclesia renovent. Quod simillimum est vitae canonicae, quam postea Eusebius Vercellensis, Paulinus Nolanus, Augustinus apud clericos suos instituebant. Nec minus vita coenobitica sic praenuntiata et commendata est. Neque enim, quod coenobia sua arca utebantur, Origenes ecclesiae arca perfectos illos Christianos adiuvandos esse censet, magni momenti est

Quodsi prima posterioris et anachoreticae et coenobiticae vitae instituta ignota sunt nec certis fontibus cognosci possunt, utra monachatus forma prior fuerit, iam dubitari posse mihi videtur. Anachoresin enim Origenes aut spiritualiter explicat aut incerte probat, communem vitam apertissime describit, summis laudibus effert, certo consilio producere studet. Quod consilium quando primi in ecclesia secuti sint, quis scit? Itaque non minus e communi vita anachoretica quam ex anachoretica communis coenobiorum vita exoriri potuit. Neque enim, quamvis singuli anachoretae antea fuerint, anachoreticam vitam ante coenobiticam floruisse, a multis probatam, electam, propagatam esse certis fontibus demonstrari potest. Ea igitur opinio, quae de coenobiorum origine tradita est, recta esse potest. Neque vero minus factum esse potest, ut recepto illo Origenis consilio in nonnullis ecclesiis vita communis instituеretur, quam postea coenobitarum singuli vita anachoretica superare conabantur. Quod etiam eis, quae Sulpicius Severus, Cassianus, alii, de vita anachoretica, quae perfectior existimata sit quam vita coenobitica, nobis tradunt, videtur probari posse [196]. Attamen quicquam certi de hac re hoc tempore statui nequit.

7. Restat, ut ea epitheta ornantia, quae postea monachatui attribui solebant, ab Origene saepissime usurpari ostendamus, non accurate eo sensu, quo postea adhibita sunt, sed ita, ut usu scripturae sacrae mutato monachatus attributa fieri incipiant. Saepenumero igitur postulat „imitationem Christi“ [197], „perfectionem evangelicam“ [198], „vitam angelicam“ [199], „τὴν θεῖαν φιλοσοφίαν“ [200] seu „vitam contemplativam“ [201], „vitam apostolicam“ [202]; saepe, ut „nubant Christo“ [203] seu „meditentur in verbo Dei die ac nocte“ [204], Christianos adhortatur. —

In investigandis monachatus originibus, ut ratio habenda sit Origenis, methodus historica postulat. Re ipsa methodus confirmata est. Neque enim solum vix monachatus signum est, quin in Origenis vita et scriptis ostendi possit, sed etiam Origenes et vivendi ratione et doctrina et exhortationibus singula illa monasticae vitae signa varium in modum coepit coniungere. Paupertatem voluntariam facile sequuntur et ana-

choresis et ascetica exercitia et, quo melius contemplatione frui possint pauperes, vita communis. Nec minus castitas contemplatione, anachoresi, studiis asceticis, vitae communis regula confirmatur. Denique contemplativa vita paupertate, virginitate, disciplina ascetica, anachoresi, vita communi munitur. Quod Origenes multis locorum supra allatorum exponit, quibus semper fere, si non omnia, tamen plura posterioris monachatus signa comprehendit. Jure igitur quodammodo praecursor monachatus appellari potest.

De ipsa autem monasticae vitae origine nonnulla addam, quae interdum parum observari arbitror. Ac primum quidem paupertatem evangelicam, ut antea evangelistae[205]) et multi confessorum, persecutionibus re familiari privati, exercebant, ita postea monachi renovabant. Deinde virginum, viduarum, continentium ordinibus, quos singulae ecclesiae amplectebantur, una sancta ecclesia apostolica catholica novum continentiae et castitatis ordinem monasticum aut addidit aut substituit, qui iam non singularum ecclesiarum, sed universae ecclesiae esset. Tertium speciale illud pristinum magistrorum et evangelistarum munus, quod antea cum presbyteri munere coniunctum non erat, non solum publice ad presbyteros, sed etiam re quodammodo ad monachos transibat. Nam quum presbyteri vel episcopi doctrinam ecclesiasticam et in cultu praedicarent et contra haereticos definirent, scientia theologica et meditatio evangelii saepe magis in coenobiis quam a clericis culta est. Quartum, quia iam neque ecclesiae singulae neque singuli Christiani sicut prioribus temporibus a mundo separati et secreti erant, monachi anachoresi voluntaria pristinum statum restituere conabantur. Denique quum Montanistis Novatianisque reiectis, persecutionibus finitis, republica superata, et disciplina et vita communis ecclesiarum, antea fraterno amore validissima, relaxaretur, pristinam ecclesiae sinceritatem desiderantes ea, quae ab omnibus fieri non poterant, multi suscipiebant proposito monastico.

Itaque quarto saeculo ecclesia, non solum per orbem utique dispersa, sed etiam in unum corpus redacta, iam non vexata, sed victrix, postquam victoria puritatem perdidisse visa est, ipsa vitam monasticam tamquam remedium necessarium recipiebat.

Annotationes

1) Ztschr. f. K. G. v. Brieger. I, 1—35. 545—574. Idem: Ueber deu Ursprung des Mönchtums im nachconstantinischen Zeitalter 1877.

2) Th. Keim, Aus dem Urchristentum I. 1878. pp. 204—220.

3) Lucius, Die Therapeuten u. ihre Stellung in der Geschichte der Ascese. 1879. p. 123—203.

4) Gass, Ztschr. f. K. G. v. Brieger II, 254—275. Idem: Geschichte der christl. Ethik. I, 1881. pp. 121—154.

5) Hase, Das Leben des heil. Antonius, Jahrbb. f. prot. Theol. VI, 422 ss.

6) Harnack, Das Mönchtum, seine Ideale u. seine Geschichte. 2. Aufl. 1882.

7) Weingarten, Art. „Mönchtum" in Herzog-Plitt, Realencyclopaedie. 2. Aufl. X, p. 758—799. p. 788: „Ueberblickt man den Zusammenhang all dieser Erscheinungen, so kann man nicht mehr zweifelhaft sein, dass die Motive, denen das Mönchtum seine Entstehung und Verbreitung verdankt, nur in elementaren, populären Strömungen des religiösen Volkslebens ihre Erklärung finden, dass man aber nicht berechtigt ist, mit Keim (Urchristentum 211 ff.) auf rein litterarische Mächte, wie den Neuplatonismus, oder in erster Reihe auf die christlich alexandrinische Schule überhaupt zurückzugreifen. cfr. p. 779.

8) Weing., Ztschr. f. K. G. I, 1—6. 10—13. 22—30; idem apud Herzog-Plitt, X, 759. 766—769. 777.

9) Weing., apud Herzog-Plitt. X, 764. 755: „Ja es lässt sich mit voller Ueberzeugung betonen, dass es uns überhaupt für das Mönchtum bis zum Ausgang der Zeiten Constantins an allen sicheren Nachrichten gebricht." p. 777: „Doch in den echten Schriften des Athanasius sollte man denken, Züge und Spuren der Ursprünge des Mönchtums anzutreffen. Aber diese Hoffnung geht nicht in Erfüllung". cfr. p. 785. Sed iam hoc loco animadvertendum est, propter testimoniorum certorum defectum rem ipsam neque demonstrari neque negari posse.

Locum autem Eusebii, quem Keim (Urchristentum, p. 205) et Hase l. c. p. 451 attulerunt (h. e. VI, 42), Weingarten iure refutavit (Herzog X, 760), quum non de anachoretis, sed de fugientibus agat. Denique de historia Arianorum et vita Antonii, Athanasio ascriptis, vide infra. Nec minus, quatenus „μονάζοντες“ illi et ἀσκηταί (Herzog X, 777), quos Athanasius interdum commemorat, ad monachatus origines pertineant, postea respondendum erit. — Ille, quem Nestle (Ztschr. f. K. G. V, 494) attulit, locus Eusebii, comm. in Ps. 67, de „monachis“ agit, sed ita, ut non „anachoretas“, sed ascetas eos esse iudicandum sit. Quod ad genuina Athanasii scripta spectat, liceat mihi commemorare nonnullos locos, qui magni mihi videntur esse ponderis. Athan. opp. ed. Migne patrol. curs. compl. vol. 27. de titulis psalmorum. In ps. 131. p. 1247 ss.: Ἡ προκειμένη ἐπιγραφὴ περιέχει· ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν, ὅπερ ἑρμηνεύεται ἐξομολόγησις τῶν ἀναβαινόντων ἀπὸ τοῦ κυρίου βαθμοῦ ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν, τουτέστιν ἀπὸ τῆς ταπεινοφροσύνης εἰς πλείονα φωτισμὸν ἀναβέβηκεν. Ἐκδέδωκε γὰρ ἑαυτὸν ἀποτάξασθαι πᾶσι τοῖς ἐν τῷ κόσμῳ, ἐκδοῦναι δὲ αὐτὸν ὅλον τῷ Θεῷ, ἐν ταῖς ὑψηλοτέραις ὡςανεὶ μείζοσιν ἐντολαῖς λοιπὸν ἀνιὼν εὑρίσκεται· ὥσπερ γὰρ ἀπὸ τοῦ κυρίου βαθμοῦ ἀνιών τις ἐπιφαίνεται, οὕτω καὶ οὗτος ἐπὶ τὸν μείζονα τοῦ Χριστοῦ ἀναβέβηκεν. — 1. (Μνήσθητι, κύριε, τοῦ Δαβὶδ, καὶ πάσης τῆς πραότητος αὐτοῦ) interpretatio: μνήσθητι, κύριε, τοῦ κατὰ τὸν Δαβὶδ λαοῦ σου τοῦ ποιοῦντος οὕτως τὰ θελήματά σου. 2. (ὡς ὤμοσε τῷ κυρίῳ, ηὔξατο τῷ Θεῷ Ἰακώβ.) interpr.: ὡς ἐπίστευσε τῷ κυρίῳ, ἐτάξατο ἑαυτὸν τῷ Θεῷ τῆς ὑπακοῆς· ἑρμηνεύεται γὰρ Ἰακὼβ ἀκοή. 3. (εἰ εἰσελεύσομαι εἰς σκήνωμα οἴκου μου) interpr.: εἰ πρόνοιαν τοῦ λοιποῦ ποιήσομαι τοῦ σώματός μου. 4. (εἰ ἀναστήσομαι ἐπὶ κλίνης στρωμνῆς μου) interpr.: εἰ μὴ ἐπ᾽ ἐδάφους ὕπνωσα τοῦ λοιποῦ. 5—6. (εἰ δώσω ὕπνον τοῖς ὀφθαλμοῖς μου καὶ τοῖς βλεφάροις μου νυσταγμὸν) interpr.: εἰ παύσομαι ἀγρυπνῶν καὶ προςευχόμενος καὶ μελετῶν νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐν τῷ νόμῳ σου. 7. (καὶ ἀνάπαυσιν τοῖς κροτάφοις μου): καὶ εἰ δώσω ἄνεσιν τῇ διανοίᾳ τῆς καρδίας μου περὶ τὰ νοήματα τῶν γραφῶν. 8. 9. (ἕως οὗ εὕρω τόπον τῷ κυρίῳ, σκήνωμα τῷ Θεῷ Ἰακώβ): ἕως οὗ διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ οἰκοδομήσω ἐμαυτὸν οἶκον τῷ κυρίῳ καὶ ἀνάπαυσιν τῷ Θεῷ ὑπακοῆς· εἴπαμεν γὰρ, Ἰακὼβ ἑρμηνεύεται ὑπακοή. 10. (ἰδοὺ ἠκούσαμεν αὐτὴν ἐν Ἐφραθά): ἰδοὺ ἠκούσαμεν ἐν εὐαγγελίῳ, ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ ἀνάπαυσις τοῦ Θεοῦ, ὅταν τις πωλήσῃ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ καὶ δῷ πτωχοῖς καὶ ἀπέλ-

θῆ καὶ ἀποτάξηται. Ἐφραθὰ γὰρ ἑρμηνεύεται παραδιδόντος καρποφορίαν. 11. *(εὕρομεν αὐτὴν ἐν τοῖς πεδίοις τοῦ δρυμοῦ): εὕρομεν τὴν ἀνάπαυσιν ταύτην εἰς τὴν ἔρημον, ἔνθα τὸ πλῆθός ἐστι τῶν ἀνδρῶν τῶν ἐχόντων ἡπλωμένας τὰς καρδίας πρὸς τὸν Θεόν· δῆλον, τοὺς μονάχους λέγει.* 12. *(εἰσελευσόμεθα εἰς τὰ σκηνώματα αὐτοῦ): εἰσελευσόμεθα εἰς τὰ μοναστήρια πρὸς τὸ ἀποτάξασθαι.* 13. *(προσκυνήσομεν εἰς τὸν τόπον, οὗ ἔστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ): τὸν σταυρὸν αὐτοῦ προςκυνήσομεν, ἔνθα ἐπάγησαν οἱ πόδες αὐτοῦ.* 14. *(ἀνάστηθι, κύριε, εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου); προσεύχονται οἱ ἡγούμενοι ὑπὲρ τῶν ἀποτασσομένων λέγοντες· ἐλθὲ, κύριε, εἰς τὴν καρδίαν τούτων τῶν τὴν ἀνάπαυσίν σου τελούντων.* 15. *(σὺ καὶ ἡ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματός σου): σὺ ἐλθὲ καὶ ἡ χάρις σου σὺν τοῖς ἁγίοις σου πᾶσιν.* 16. *(οἱ ἱερεῖς σου ἐνδύσονται δικαιοσύνην): ἡμεῖς οἱ ἱερεῖς σου ἐνδυσόμεθα διὰ τῆς διδασκαλίας τούτους τοὺς τῆς δικαιοσύνης υἱούς.* 17. *(καὶ οἱ ὅσιοί σου ἀγαλλιάσονται): καὶ πάντες οἱ ἄγγελοί σου καὶ πᾶσα ἡ ἀδελφότης ἀγαλλιάσονται ἐπὶ τῇ ἀποταγῇ τούτων τῶν προελθόντων.* 18. *(ἕνεκεν Δαβὶδ τοῦ δούλου σου): διὰ τὸν χόρον τὸν πεποθημένον τῶν ἁγίων σου· Δαβὶδ γὰρ ἑρμηνεύεται πεποθημένος.* . . . . 22. *(ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας σου θήσομαι ἐπὶ τοῦ θρόνου σου): τὰ τέκνα ὑμῶν, ἃ τίκτετε διὰ τῆς χάριτός μου, αὐτὰ κληρονομήσουσι τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· ταῦτα πρὸς ἕκαστον τῶν ἡγουμένων λέγει κτλ.* Interpret. in Ps. 132 ibid. p. 1253 ss.: . . . . . . *τέρψεις ὑπάρχουσι τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ οἱ ἀναβαίνοντες εἰς τὴν τελείαν γνῶσιν τῆς ἀποταγῆς.* 1. 2. *(ἰδοὺ δὴ τί καλὸν ἢ τί τερπνὸν, ἀλλ' ἢ τὸ κατοικεῖν ἀδελφοὺς ἐπὶ τὸ αὐτό): τί τοιοῦτο καλὸν ἢ τί τερπνὸν ὡς τοὺς ἀποταξαμένους τῷ κόσμῳ ὁμοῦ εἶναι συμψύχως καὶ ἓν φρονοῦντες.* . . . . 6: . . . *οὕτως οὖν καὶ οὗτοι ὁμοψύχως ἀποταξάμενοι ἔχουσι διάφορα χαρίσματα καὶ ὡς ἐν τῇ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ὄντες, οὕτως πολιτεύονται.* Interpr. in ps. 133 . . . . *προστάσσει γὰρ αὐτὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῖς ἀποταξαμένοις καὶ κατοικοῦσιν ἅμα ἐπὶ τὸ αὐτὸ λατρεύειν αὐτῷ ἐν εἰλικρινεῖ διανοίᾳ.*

[10]) Utrum in superiore Aegypto (Herzog X, 775. 782. 785) an inferiore (Harnack, l. c. p. 18) primi monachi fuerint, certis monumentis vix diiudicari potest.

[11]) Weing., l. c. X, 759. 775. 778. Non martyrii spiritualis studio monachatus videtur ortus esse, sed aliis causis. Sed martyrio cuidam iam inde ab initio comparari itaque

commendari facile poterat, quum non solum tertio saeculo (ab Origene) martyres et virgines primo et secundo loco ordinum ecclesiasticorum poni solerent, sed etiam Methodius Tyri episcopus virginitatem tamquam perfectum et continuum et difficillimum martyrium summis laudibus extulisset ac paene virgines martyribus praetulisset. cfr. Method. Tyr. conviv. decem virginum, Migne XVIII, 129 s: „*Καὶ δὴ καὶ ἐνταῦθα πρῶτον (ὁ κύριος) τὸ τάγμα καὶ τὸν χόρον τὸν ἅγιον αὐτῷ τῶν παρθένων, ὥσπερ εἰς νυμφῶνα, τὴν ἀνάπαυσιν τῶν καινῶν αἰώνων ἐφομαρτοῦντα συνεισελεύσεσθαι χρησμῳδεῖ. Ἐμαρτύρησαν γάρ, οὐ κατά τι μόριον χρόνου ἐν βραχεῖ καρτερήσασαι σωμάτων ἀχθηδόνας, ἀλλὰ διὰ παντὸς τλήσασαι τοῦ βίου, μὴ ἀποδειλιάσασθαι τὸν ἀγῶνα τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀληθῶς διαθλῆσαι τῆς ἁγνείας· βασάνοις τε γὰρ ἀγρίοις ἡδονῶν καὶ φόβοις καὶ λύπαις ἀντισχοῦσαι καὶ τοῖς ἄλλοις τῆς πονηρίας τῶν ἀνθρώπων κακοῖς ἀποφέρονται τὰ γέρα πρῶται τῶν ἄλλων εἰς τὸν ἀμείνω τῆς ἐπαγγελίας ἐκτασσόμεναι χῶρον κτλ.* Quodsi illo tempore, quo martyres ecclesiam nondum deficiebant, virginitas martyrium appellari poterat, facile talis gloria ad monachatum orientem transferebatur, praesertim quum iam Clemens Al. strom. IV, 570 (ed. Potter) vitam veri gnostici, Origenes in ev. Matth. III, 171 (ed. Lommatzsch) totam continentis vitam perpetuum martyrium dixisset.

[12]) Weing., l. c. X, 779. cfr. Harnack, l. c. p. 14.

[13]) Weing., l. c. X, 784 s. Addendum autem erit, tales causas, si claris testimoniis demonstrari non possunt, revera tamen monachatus institutum praeparare potuisse. Sed hic quaeritur, quid certo demonstrari possit, non, quid fieri potuerit.

[14]) Keim, l. c. p. 205. cfr. Weing. l. c. X, 776.

[15]) Weing., l. c. X, 775. De tempore epistolae illius, quam Weingarten fide dignam non esse existimat, se brevi acturum esse promisit. Neque vero in illa epistola voce „*μονή*“ monasterium significatum non esse mihi persuasit, quum non solum verbum „*μονή*“, sed etiam „*Παφνούτιος, μόναχος τῆς αὐτῆς μονῆς*“ ibi inveniamus. Nec minus (cfr. Athan. de titulis psalmorum apud Migne vol. 27. p. 911 ss. in ps. LXVII, stich. 14—16) „*ὁ θεὸς κατοικίζει μονοτρόπους ἐν οἴκῳ, ἐξάγων πεπηδημένους ἐν ἀνδρείᾳ, ὁμοίως τοὺς παραπικραίνοντας, τοὺς κατοικοῦντας ἐν τάφοις.*“ explicatur: *τοὺς κατὰ Χριστὸν μονάζοντας — τοὺς αὐτοὺς μονάζοντας ἐκ τῶν δεσμῶν τῶν ἁμαρτιῶν λυτρούμενος ἐν ἰσχύϊ κατὰ τῆς ἁμαρτίας — τοὺς διὰ τῶν ἁμαρτιῶν παραπικραίνοντας αὐτὸν πρότερον, ὕστερον δὲ μετανοήσαντας καὶ κατοικοῦντας ἐν τάφοις, τουτέστιν ἐν*

ταῖς μοναῖς, ἐξάγει ἐν ἀνδρείᾳ κατὰ τοῦ διαβόλου." Deinde ibidem stich. 56 s: *προέφθασαν ἄρχοντες ἐχόμενα ψαλλόντων ἐν μέσῳ νεανίδων τυμπανιστριῶν* explicatur: *οἱ ἡγούμενοι τῶν μοναζόντων ἦλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου κατέχοντες τοὺς ἑαυτῶν μαθητάς· — ἐν μέσῳ τῶν ψυχῶν τῶν νεωστὶ ἀποταξαμένων καὶ νεκρουσῶν τὰ μέλη ἑαυτῶν.*"

16) In aestimando Eusebii loco dem. ev. I, 8 magnopere refert, et quomodo „monachi" et „monachatus" notiones definiantur, et quinam fuerint fines et modi asceseos et evangelicae et philosophicae, quae in ecclesia antiqua et imprimis apud theologos Alexandrinos invenitur. De quibus rebus vide infra. Ceterum cfr. Gieseler, K. G. I, 1, 404. Keim, l. c. p. 206. Hase, l. c. p. 436. Lucius, l. c. p. 131 s. 160. Gass, Ztschr. f. K. G. II, 260. Weing., l. c. X, 764 s.

17) Quod ad librum illum „De vita contemplativa", Philoni ascriptum, ab Eusebio primo commemoratum attinet, duae quaestiones solvendae sunt: altera, quid de libro ipso, altera, quid ex Eusebii commemoratione coniiciendum sit. Ac primum quidem Lucius praeclaro ac singulari libro (die Therapeuten und ihre Stellung in der Geschichte der Askese 1879) librum de vita contemplativa non a Philone confectum, sed ad commendandam et efferendam vitam asceticam ab anonymo quodam auctore Philoni subditum esse demonstravit. Quod ab omnibus fere historiae peritis probatum est. Quaerendum autem erit, utrum anonymus ille, sicut Lucius protulit, ad Christianam ascesin propagandam circa annum trecentesimum scripserit (Lucius, l. c. p. 123—198), an — id, quod Weingarten (l. c. X, 761—764) defendit — philosophus quidam Judaeus Hellenisticus primi saeculi fuerit. Nec dubitari potest, quin et Lucius contra auctorem Judaeum et Weingarten contra Christianum gravissima argumenta attulerint. Nec minoris ponderis est haec quaestio, utrum talia instituta asceticae vel communis seu monasticae vitae, qualia liber de vita contemplativa describit, in ecclesia Christiana autore illo scribente iam floruerint et ab eo laudibus elata, an ab illo ea, quae nondum erant, sperata et exoptata et descripta sint. Fortasse autem accidet, ut numquam illa decerni possint. Quodsi neque tempus neque locus neque proprium propositum auctoris certo cognosci potuerit, in describenda asceseos historia vix libro illo pseudophilonico utendum erit certo fonte. Sed iam magnum est demonstrasse, neque specialem Therapeutarum sectam umquam fuisse neque Philonem libri illius auctorem esse.

Altera et prorsus diversa et, quae monachatus origines

multo propius attingat, quaestio est, quidnam Eusebius, h. e. II, 17 de Therapeutis agens, nos doceat. De qua re quia neque Weingarten (l. c. X, 764) neque Lucius (l. c. p. 128 ss. p. 204) satis accurate egerint, nobis breviter disputandum est. Weingarten enim (l. c. X, 764): „Des Eusebius Hauptinteresse“, inquit, „in seinem Lob der Schrift D. V. C. geht darauf hinaus, aus dem Munde Philos die Geistigkeit und die philosophische Askese der ersten Apostel und ihrer Zeit, namentlich auch der Gemeinde von Alexandria schon in den Tagen ihrer Gründung durch Marcus nachzuweisen.“ Contra Lucius (l. c. p. 130): „Und auf diese Uebereinstimmung der in D. V. C. geschilderten Institute, Sitten u. s. w. mit denjenigen seiner Zeit, legt ja Eusebius stets das Hauptgewicht in seiner Beweisführung.“ . . . p. 133: „und dass er sich zum Erweis seiner Behauptung immer wieder auf die völlige Identität berufen hat, welche in Betreff der Lebensart, der Sitten und Gebräuche zwischen den Therapeuten u. den christlichen Asketen seiner Zeit bestanden.“ p. 156: „Der Verfasser von D. V. C. erreichte ferner seinen besonderen Zweck, eine Apologie zu Gunsten der christlichen Asketen und eine Empfehlung ihrer Lebensart zu schreiben, da die gelehrtesten Kirchenväter seiner Zeit nicht anstanden, seine Schrift so aufzufassen, wie er es gemeint.“ . . p. 204: „Eusebius, ausgehend von der Identität der von D. V. C. den Therapeuten beigelegten Sitten und Gebräuche mit denjenigen seiner Zeit, hatte die Therapeuten, h. e. II, 17, für christliche Asketen erklärt.“ —

Sed accuratius explicito illo Eusebii loco haec inveniuntur.

I. Eusebius, ut librum illum D. V. C. Philonis afferret et de Therapeutis ageret, permotus est, quum de aetate apostolica et de Marco Christianismum in Aegypto propagante narraret II, 16. De ecclesiis ibi conditis loquens „*Τοσαύτη δ' ἄρα*“ — inquit — „*τῶν αὐτόθι πεπιστευκότων πληθὺς ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν ἐκ πρώτης ἐπιβολῆς συνέστη, δι' ἀσκήσεως φιλοσοφωτάτης τε καὶ σφοδροτάτης, ὡς καὶ γραφῆς αὐτῶν ἀξιῶσαι τὰς διατριβὰς καὶ τὰς συνηλύσεις τάτε συμπόσια καὶ τὴν ἄλλην πᾶσαν τοῦ βίου ἀγωγὴν τὸν Φίλωνα.*“ — „*αὐτοὶ*“ illi sunt credentium virorum et mulierum multitudo seu ecclesiae Aegyptiacae.

II. Eusebii illo loco maxime interest, ut demonstret, iure meritoque se libro Philonis Judaei in describenda apostolorum aetate tamquam certo et idoneo fonte uti. Quod primum fama tradita, Philonem cum Petro Romae convenisse ostenditur. Deinde autem cum illam famam veram, tum Philonem de Christianis antiquis aptum testem esse,

exponitur argumentis libro ipsi desumptis, qui „*σαφῶς τοὺς εἰςέτι νῦν καὶ εἰς ἡμᾶς πεφυλαγμένους τῆς ἐκκλησίας περιέχει κανόνας. Ἀλλὰ καὶ τὸν βίον τῶν παρ᾿ ἡμῖν ἀσκητῶν ὡς ἔνι μάλιστα ἀκριβέστατα ἱστορῶν γένοιτ᾿ ἂν ἔκδηλος οὐκ εἰδὼς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀποδεχόμενος, ἐκθειάζων τε καὶ σεμνύνων τοὺς κατ᾿ αὐτὸν ἀποστολικοὺς ἄνδρας, ἐξ Ἑβραίων ὡς ἔοικε γεγονότας, ταύτῃ τε Ἰουδαικώτερον τῶν παλαιῶν ἔτι τὰ πλεῖστα διατηροῦντας ἐθῶν.*“ Id est: Philonem Romae cum Petro consuetudinem habuisse verisimile est, quia liber ille „enucleate continet ecclesiasticas regulas, etiam nunc et usque ad nos conservatas. Sed eo, quod etiam ascetarum nostrorum vivendi rationem quam accuratissime enarrat, manifestum fit, eum non solum cognosse, sed etiam laudare, celebrare et efferre aequales suos apostolicos viros, qui, e gente Hebraeorum nati, propterea plurimos pristinorum morum reservarant.“ — Lucius illud „*ἀλλὰ καὶ*“, quod magni ponderis est, omittens contextum non satis accurate reddit (p. 218): „Gleich im Eingange seines Excurses behauptet Eusebius die vollständige Identität der therapeutischen und christlichen Praxis. D. V. C., sagt er, enthält offenbar (*σαφῶς*) die Kirchenregeln (*τῆς ἐκκλησίας κανόνας*), welche noch bis jetzt bei uns beobachtet werden (*τοὺς ἔτι καὶ νῦν εἰς ἡμᾶς πεφυλαγμένους*). Philo beschreibt die Lebensart unserer Asketen so genau als möglich (*τὸν βίον τῶν παρ᾿ ἡμῖν ἀσκητῶν ὡς ἔνι μάλιστα ἀκριβέστατα ἱστορῶν*).“ Sed prior sententia (*σαφῶς τοὺς εἰς ἔτι κτλ.*) totam libri summam describit, posterior (*ἀλλὰ καὶ κτλ.*) rem leviorem attingit.

III. Non ad ascetas solos, sed ad totas ecclesias Aegypti refert Eusebius et nomen Therapeutarum (Christianorum nomen tunc nondum ubique notum fuisse coniiciens II, 17, 3. 4) et disciplinam, scilicet, quod rei familiari philosophandi causa renuntiant, in hortis et agris versantur, hominum consuetudinem fugiunt. Ad quam disciplinam explicandam addit: „*τῶν καὶ ἐκεῖνο καιροῦ τοῦθ᾿ ὡς εἰκὸς ἐπιτελούντων ἐκθύμῳ καὶ θερμοτάτῃ πίστει τὸν προφητικὸν ζῆλον ἀσκούντων βίον*“ et testem adhibet „*τὰς ὁμολογουμένας τῶν ἀποστόλων πράξεις*“ Act. 2, 45. 4, 34. h. e. II, 17, 5. 6.

IV. Philonis illud: „*Πολλαχοῦ μὲν οὖν τῆς οἰκουμένης ἐστὶ τὸ γένος· ἔδει γὰρ ἀγαθοῦ τελείου μετασχεῖν καὶ τὴν βάρβαρον. Πλεονάζει δ᾿ ἐν Αἰγύπτῳ καθ᾿ ἕκαστον τῶν ἐπικαλουμένων νομῶν καὶ μάλιστα περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν*“ non ad ascetas quosdam, sed ad omnes Christianos aetatis apostolicae refertur (II, 17, 7). Nec minus illud: „*οἱ δὲ πανταχόθεν ἄριστοι καθάπερ εἰς πατρίδα θεραπευτῶν, ἀποικίαν στέλλονται πρός τι*

χωρίον ἐπιτηδειότατον, ὅπερ ἐστὶν ὑπὲρ λίμνης Μαρίας κείμενον ἐπὶ γεωλόφου χθαμαλωτέρου σφόδρα εὐκαίρως, ἀσφαλείας τε ἕνεκα καὶ ἀέρος εὐκρασίας" (II, 17, 8) ad specialem ascetarum societatem referendum non est. Contra Eusebius subiungit: „Εἶθ' ἑξῆς τὰς οἰκήσεις αὐτῶν ὁποῖαί τινες ἦσαν διαγράψας περὶ τῶν κατὰ χώραν ἐκκλησιῶν ταῦτά φησιν κτλ. (II, 17, 9). Inde sequitur, quod Eusebius Therapeutarum „μοναστήρια, οἰκήματα ἱερά, σεμνεῖα" et ecclesias esse et praeteritae (ἦσαν), non suae aetatis fuisse declarat. Quae gravissima sunt: Therapeutae Eusebio non ascetae quidam Christiani, sed omnes aetatis apostolicae Christiani Aegyptiaci ascetice viventes videntur esse. Insuper, si monasteria ulla aut monachorum societates prope Alexandriam cognosset Eusebius, necesse erat, locum illum Philonis modo prorsus diverso interpretaretur et monachatus Christiani mentionem faceret. Quod si nequaquam fit, novum argumentum est, coenobia et instituta monachorum aut Eusebio nota aut eius temporibus longe lateque clara non fuisse.

V. „Τὰ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ μνημεῖα ἀπέλιπον, Eusebius evangelia et apostolorum scripta et tales propheticorum librorum interpretationes esse coniicit, quales Pauli epistolae et epistola ad Hebraeos continent (II, 17, 11. 12).

VI. Hymnis denique, quos illi faciebant, commemoratis, Eusebius (II, 17, 14) se ea collegisse confitetur, „δι' ὧν τὰ χαρακτηριστικὰ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀγωγῆς" (propria vitae ecclesiasticae) „ὑποτίθεται." Itaque Therapeutas antiquos Christianos fuisse. At si quis dixerit, omnia, quae antea exposita sunt, non apud solos Christianos, sed etiam apud alios inveniri posse (εἰ δέ τῳ μὴ δοκεῖ τὰ εἰρημένα ἴδια εἶναι τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείας, δύνασθαι δὲ καὶ ἄλλοις παρὰ τοὺς δεδηλωμένους ἁρμόττειν"), illum Eusebius comparare iubet ea, quae Philo de continentia et ieiuniis tradit, cum disciplina seu ascesi Christiana. (Ταύτας τοῦ Φίλωνος σαφεῖς καὶ ἀναντιρρήτους περὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ὑπάρχειν ἡγούμεθα λέξεις (II, 17, 15—17). Deinde gravius argumentum affert („ἐναργέστεραι ἀποδείξεις, ἃς οὐ παρά τισιν ἢ μόνῃ τῇ τῶν Χριστιανῶν εὑρεῖν ἔνεστι κατὰ τὸ εὐαγγέλιον θρησκείᾳ) laudatas a Philone virgines (γηραλέαι πάρθενοι), quae non coactae, sed sponte διὰ ζῆλον καὶ πόθον σοφίας castitatem servarint, spiritualium tantum filiorum cupidas (II, 17, 19). Tertium (ἐμφαντικώτερον) affert Eusebius allegoricam rationem, qua scripturae sacrae explicentur (II, 17, 20); deinceps „τὰς ἐπὶ ταὐτὸν συνόδους καὶ τὰς ἰδίᾳ μὲν ἀνδρῶν, ἰδίᾳ δὲ γυναικῶν ἐν ταὐτῷ διατριβὰς (i. e.: conventus

ecclesiasticos, in quibus et viri et mulieres suum separatum locum tenebant) καὶ τὰς ἐξ ἔθους εἰςέτι καὶ νῦν πρὸς ἡμῶν ἐπιτελουμένας ἀσκήσεις (i. e.: exercitationes asceticas, ieiunia, vigilias, meditationes verbi Dei, praecipue in festo passionis Domini usitata,) „ἃς διαφερόντως κατὰ τὴν τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτὴν . . . εἰώθαμεν" (II, 17, 21). Denique accurate („ἐπ' ἀκριβέστερον") Philonem mores Christianos (ὃν καὶ δεῦρο τετήρηται παρὰ μόνοις ἡμῖν τρόπον) describere demonstraturus, Eusebius proponit „τὰς τῆς μεγάλης ἑορτῆς παννυχίδας καὶ τὰς ἐν ταύταις ἀσκήσεις" (hymnos, cantus alternantes, continentiam II, 17, 22) et „τὸν τῆς προστασίας τρόπον τῶν τὰς ἐκκλησιαστικὰς λειτουργίας ἐγκεχειρισμένων", diaconatum et episcopatum (II, 17, 23). Concludit Eusebius caput illud his verbis: „ὅτι δὲ τοὺς πρώτους κήρυκας τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον διδασκαλίας τάτε ἀρχῆθεν πρὸς τῶν ἀποστόλων ἔθη παραδεδομένα καταλαβὼν ὁ Φίλων ταῦτ' ἔγραφε, „παντί τῳ δῆλον (II, 17, 24).

VII. Qua tota argumentatione apparet, non tam ascetis quibusdam, sed toti ecclesiae Cristianae primitivae Therapeutas ab Eusebio comparatos esse. Regulas, mores, cultum, disciplinam, scripturas sacras, studia, ascesin, ordines, charismata, dies festos, munera, liturgias ecclesiae a Philone descripta esse putat (cfr. II, 16, 2. 17, 24). Ascetarum autem, ut ita dicam, ordo Christianorum non nisi II, 17, 2 (ἀλλὰ καὶ τὸν βίον τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν) et II, 17, 17 (περὶ τῶν καθ' ἡμᾶς), virginum ordo II, 17, 19 commemoratur.

VIII. Eusebius Therapeutas apostolicae aetatis Christianos esse ratus, apertissime inter ea, quae sua aetate comparari poterant cum Therapeutarum moribus (τοὺς εἰςέτι νῦν καὶ εἰς ἡμᾶς πεφυλαγμένους τῆς ἐκκλησίας κανόνας II, 17, 1; τὸν βίον τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν II, 17, 2; περὶ τῶν καθ' ἡμᾶς II, 17, 17; εὑρεῖν ἔνεστι II, 17, 19; τὰς ἐξ ἔθους εἰςέτι καὶ νῦν πρὸς ἡμῶν . . εἰώθαμεν II, 17, 21; ὃν καὶ εἰς δεῦρο τετήρηται παρὰ μόνοις ἡμῖν τρόπον, τούς τε λέγεσθαι εἰωθότας πρὸς ἡμῶν ὕμνους) et inter ea, quae apostolorum aetate fuerant (αὐτῶν II, 16, 2; τοὺς κατ' αὐτὸν ἀποστολικοὺς ἄνδρας II, 17, 2; αὐτοὶ II, 17, 5; τῶν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τοῦθ' ὡς εἰκὸς ἐπιτελούντων ἐκθύμῳ καὶ θερμοτάτῃ πίστει τὸν προφητικὸν ζηλοῦν ἀσκούντων βίον II, 17, 5; ὁποῖοίτινες ἦσαν II, 17, 9) distinguit.

IX. Illud ὡς ἔνι μάλιστα ἀκριβέστατα" II, 17, 2 minimam habet vim. Nam eisdem fere verbis „καὶ ἐπ' ἀκριβέστερον ἐπισημηνάμενος" κτλ. Eusebius noctem paschalem a Philone

descriptam esse contendit illis pervigiliis Therapeutarum! II, 17, 22.

X. Itaque, si supra Weingartenio contradixi, tamen consentio cum eo contra Lucium dicente (l. c. X, p. 764): „Dass hier nur jene Asketen gemeint sind, die wir aus Athenagoras und Tertullian kennen, haben schon Valesius zu Eusebius h. e. II, 17 (in der Ausgabe Turin 1746 p. 715 und zu VII, 32, p. 326) und Bingham (Origines III, 6 s) geltend gemacht, und geht aus der Darstellung des Eusebius selbst hervor, der nur dasselbe religiös-philosophische Ideal für die Aehnlichkeit der therapeutischen und der christlichen Asketen geltend macht, christlicher Genossenschaften von Asketen aber gar nicht gedenkt, und die therapeutischen Pannychiden nicht auf besondere mönchische, sondern auf die allgemeinen kirchlich-gottesdienstlichen Ostervigilien bezieht."

XI. Historiae ecclesiasticae de Therapeutis caput gravissimum argumentum est, Eusebio monachorum colonias notas non fuisse; aut si notae ei erant, habebat, cur eas dissimumularet. cfr. Weing. l. c. X, 766: „Soviel steht unter allen Umständen fest, Eusebius weiss noch nichts von einem christlichen Mönchtum; hat dasselbe zu seiner Zeit schon existiert, so kann es noch nicht jenen weit verbreiteten Ruhm und glänzende Vergangenheit hinter sich gehabt haben, welche die traditionelle Darstellung schon in die ersten Dezennien des 4. Jahrhunderts verlegt." — Interrogari autem potest, quatenus postea scriptores et laudatores vitae monasticae de originibus monachatus agentes, si non librum D. V. C. pseudophilonicum, tamen Eusebii historiam ecclesiasticam secuti et falso in maiorem monachatus gloriam interpretati sint (contra Lucium, l. c. p. 163).

[18]) Quum etiam postea primis ipsius monachatus temporibus et causae renuntiandi mundo valde diversae fuerint neque monastica vita cum stabilitate propositi seu voti coniuncta sit, Narcissus episcopus. qui et propter res adversas et „philosophandi causa (*καὶ ἄλλως ἐκ μακροῦ τὸν φιλόσοφον ἀσπαζόμενος βίον*) ecclesia relicta in solitudine et campis complures annos latebat (Eus. h. e. VI, 9, 6) et postea *τῆς τε ἀναχωρήσεως ἕνεκα καὶ τῆς φιλοσοφίας* ab omnibus magni aestimabatur (ibid. VI, 10), primum anachoreticae sive monasticae vitae exemplum nominari potest. Sed quia, imitatusne sit quis eum, ignoramus, non conditorem, sed praecursorem disciplinae anachoreticae eum dicemus. Quodsi Weingarten ipse (l. c. X, 759) monachatum esse „ascesin, qua mundo et ecclesiae prorsus renuntiatur" („die Askese in völliger Loslösung von der Welt und

der Gemeinde") definivit, neque intelligo, cur Narcissum episcopum anachoretam comprobare nolit, neque argumentum eius admittere possum hoc: „Die Sehnsucht aber nach dem *φιλόσοφος βίος*, die Eusebius als den andern Beweggrund hinzufügt, ist im 2. und 3. Jahrhundert noch keineswegs identisch mit christlicher Askese; gilt es doch auch in der heidnischen Welt dieser Zeit als der höchste Ruhm ihrer Philosophen, wie wir aus Porphyrius (de abstinentia 1, 36) ersehen, ihr Zurückziehen in die *ἐρημότατα χωρία*" (Weing. l. c. p. 760). Primum enim illum „*φιλόσοφον βίον*" et *ἄσκησιν* Christianam tertio saeculo idem fuisse aut notiones apud Eusebium synonymas esse, cognoscitur loco ipsius Eusebii h. e. VI, 3, 9—13: „*βίῳ τε ὡς ἔνι μάλιστα ἐγκαρτερῶν φιλοσοφωτάτῳ, τότε μὲν τοῖς ἐν ἀσιτίαις γυμνασίοις ἐνασκούμενος, τότε δὲ μεμετρημένοις τοῖς κατὰ τὸν ὕπνον καιροῖς, ου μεταλαμβάνειν οὐδ' ὅλως ἐπὶ στρωμνῆς, ἀλλ' ἐπὶ τοὔδαφος διὰ σπουδῆς ἐποιεῖτο* . . . (Narrantur deinde nonnulla de paupertate, continentia, simplicitate, disciplina Origenis) . . . *Τοιαῦτα δὴ φιλοσόφου βίου τοῖς θεωμένοις παρέχων ὑποδείγματα κτλ.* cfr. Eus. de mart. Pal. XI, 1, 2: „*ὁ Πάμφιλος, ἀνὴρ καὶ παρ' ὅλον αὐτοῦ τὸν βίον πάσῃ διαπρέψας ἀρετῇ, ἀποτάξει καὶ καταφρονήσει βίου, τῇ τῆς οὐσίας εἰς ἐνδεεῖς κοινωνίᾳ κοσμικῶν ἐλπίδων ὀλιγωρίᾳ, φιλοσόφῳ πολιτείᾳ καὶ ἀσκήσει.* — Pamphili apol. pro Origene, opp. Orig. ed. Lommatzsch, XXIV, 298: „vitam abstinentissimam agere et valde philosophicam." — Itaque, dummodo definitio monachatus, quam Weingarten protulit, probari possit, Narcissus monachus fuit, praesertim quum nihil intersit, utrum etiam philosophi ethnici anachoreticam vitam petiverint necne. Sed de definitione monachatus vide infra.

19) De Hieracitis longior quaestio est, quam ut hoc loco suscipi possit. Revoco igitur et ad Harnackium (apud Herzog-Plitt VI, p. 100 s.), Lucium (l. c. p. 143 ss.), qui societatem quandam monasticam seu asceticam ab Hieraca conditam esse gravibus causis demonstrare student, et ad Weingartenium (l. c. X, p. 760 s.), qui argumentis haud levibus contradicit. Sed quicquid quaestione caute soluta inventum erit, neque historiae asceseos neque libro de monachatus originibus agenti Hieracitae prorsus praetermittendi sunt.

20) cfr. Weing. l. c. X, 776 s. Equidem linguae Syriacae imperitus hanc rem diiudicare nequeo. Revocandum autem est ad ea, quae Th. Zahn, Forschungen zur Geschichte des neutestamentlichen Kanons und der altkirchlichen Literatur 1883. II, 281—285 Weingartenio opposuit. Argumentis autem a Zahnio allatis Weingartenius victus esse mihi videtur.

[21]) Ztschr. f. K. G. I, 13—22; apud Herzog-Plitt. X, 769—774.

[22]) Weing. l. c. X, 771. 777.

[23]) Hase, Jahrbb. f. prot. Theol. VI, 422 s. Keim, Urchristentum.

[24]) cfr. Weing. l. c. X, 758 s. ibid. 778: „die erste Form desselben war das Eremitentum, die ersten Mönche waren durchweg isolierte Anachoreten." — ibid. X, 787: „Es war wol Sein Einfluss und der seiner Regel, die für das spätere griechische Ordenswesen massgebend ward, dass in der kleinasiatischen Welt das Coenobitenleben die älteste Form der Mönchsaskese, das Anachoretentum, überwand."

[25]) Weingarten ipse (l. c. X, 777) confitetur: „Athanasius redet öfter von *μονάζοντες καὶ ἀσκηταί* in Aegypten (z. B. apol. ad Const. imper. 28); was er aber von diesen *μονάζοντες* andeutet, geht nicht über das noch nicht mönchische Asketentum der früheren Zeiten hinaus; wird doch an einzelnen Stellen (wie ep. ad Dracont. 9. I, 268) sogar vorausgesetzt, dass diesen Asketen selbst Ehe und Kinderzeugung nicht fern geblieben ist. Und dass *μονάζων* in der Kirche des 4. Jahrhunderts überhaupt noch nicht den Mönch im eigentlichen Sinne bezeichnet, geht aus Epiphanius hervor, der von Marcion zu einer Zeit, wo vom Mönchtum noch keine Rede war, sagt, dass er „*μονάζων ὑπῆρχε* (haer. 42, 1)." Tali modo res et verba satis explicari verisimile mihi non est. Sed definitio „*μονάζοντος*" ipsis rebus illis accommodanda est. — Ceterum cfr. Basil. ep. 63 ad Neocaesarienses: „*ἐγκαλούμεθα δὲ, ὅτι ἀνθρώπους ἔχομεν τῆς εὐτελείας ἀσκητὰς, ἀποταξαμένους τῷ κόσμῳ καὶ πάσαις ταῖς βιωτικαῖς μερίμναις.*" Isidor. Pelus. I, 367 (*ἄσκησις, μοναστριαί*). Aug. c. Faustum. l. I, c. 9: „Quam multi continentes in ecclesia et monasteriis, victum et tegumentum commune habentes." Aug. in Johann. tract. 97 ad finem: „In Antiochia enim primum post ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani; et xenodochia et monasteria postea sunt appellata novis nominibus; res tamen ipsae et ante nomina sua erant et religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur." Aug. de mor. eccl. cathol. c. 31: „summae continentiae homines et in Oriente maxime atque Aegypto." Socr. h. e. I, 11. IV, 21: *ἀσκητήρια*. Greg. Naz. serm. 20 in laudem Basilii: „*ἀσκητήρια καὶ μοναστήρια.*" Ambros. hexaem. III, 5: . . . ii, qui se abdicant intemperantiae saecularis illecebris, fide continentiae proposito eligunt mundum latere et vitae huius declinare aufractus." cfr. ea, quae Th. Zahn, For-

schungen zur Gesch. des Kanons u. der altkirchl. Litteratur, II, 185—192 exposuit. Hic commemoranda est ea, quam Nestle, Ztschr. f. K. G. V, 494 ss attulit, Eusebii interpretatio. Eus. enim in Ps. 67. apud Migne, vol. 23. p. 689 de „monachis“ agit, non de „anachoretis“ seu de eremitis.

[26]) Epiph. haer. 42, 1: „*τὸν δὲ πρῶτον αὐτοῦ βίον παρθενίαν δῆθεν ἤσκει· μονάζων γὰρ ὑπῆρχε.*“ Hieron. ep. 22 ad Eustoch. c. 16: „Quia nunc de virginibus scribens pene superfluum de monachis disputavi, ad tertium genus veniam, quos anachoretas vocant, qui de coenobiis exeuntes, excepto pane at sale, ad deserta nihil perferunt amplius.“ Epiph. expos. fidei n. 21: „Horum omnium velut fastigium et ut ita dicam, matris ac genetricis locum sanctum sibi sacerdotium vindicat; quod ex virginum ordine praecipue constat; aut si minus e virginibus, certe ex monachis; aut nisi ex monachorum ordine ad illam functionem obeundam idonei cooptari possint, ex his creari sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur.“ Zosimus, h. n. l. 5: „*ἀπείληπτο δὲ ἡ τῶν χριστιανῶν ἐκκλησία ὑπὸ τῶν λεγομένων μονάχων. Οὗτοι δὲ γάμοις τοῖς κατὰ νόμον ἀπαγορεύουσι, συστήματα δὲ πολυάνθρωπα κατὰ πόλεις καὶ κώμας πληροῦσιν ἀνθρώπων ἀγάμων καὶ οὔτε πρὸς πόλεμον οὔτε πρὸς ἄλλην τινὰ χρείαν ἀναγκεῖαν τῇ πολιτείᾳ.*“ Hieron. de laudibus Marcellae: „Crebra virgihum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo.“ Cassian. collat. 18, 5: „Qui paulatim tempore procedente segregati a credentium turbis ab eo, quod a coniugiis abstinerent et a parentum se consortio mundique istius conversatione secernerent, monachi sive monazontes singularis ac solitariae vitae districtione nominata sunt.“ Aug. sermo XCVI, tom. V, p. 358: „Non enim hoc virgines debent audire et maritatae non debent; aut viduae debent et nuptae non debent; aut monachi debent et coniugati non debent; aut clerici debent et laici non debent: sed universa ecclesia“ etc. — Contra cfr. Isid. Pelus. I, 191. 332. 462. Epiph. in expos. fidei. cathol. art. 21: „*συνέπεται δὲ τῇ αὐτῇ παρθενίᾳ ἡ μονότης ..... πλείοσι τῶν μοναζόντων καὶ μοναζουσῶν.*“ Hieron. ep. 13 ad Paulinum: „Sin autem cupis esse quod diceris, monachus, id est solus, quid facis in urbibus, quae utique non sunt solorum habitacula, sed multorum.“ Hieron. ep. ad Heliodor: „Interpretare vocabulum monachi, hoc est nomen tuum, quid facis in turba, qui solus es?“ etc. — Adiiciatur ingeniosa Augustini interpretatio in Psalm. 132: „Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare

fratres in unum." Ex voce huius Psalmi appellati sunt et monachi, ne quis de vobis de isto nomino insultet Catholicos. . . . „Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis vere, quomodo scriptum est, una anima et unum cor, multa corpora, sed non multae animae, multa corpora, sed non multa corda, recte dicitur *μόνος*, id est, unus solus." cfr. ea, quae Th. Zahn, Forschungen zur Gesch. d. neutest. Kanons und der altkirchl. Literatur. II. p. 185—192 exponit.

[27]) cfr. locos annotatione superiore allatos. Praeterea Epiph. adv. haer. 23: *τινὲς δὲ τῶν μοναζόντων αὐτῆς κατοικοῦσι τὰς πόλεις, τινὲς δὲ καὶ ἐν μοναστηρίοις καθέζονται καὶ ἀπὸ μήκοθεν ἀναχωροῦσιν.* Hieron. ep. 22 ad Eustochium (de Sarabaytis): „habitant quam plurimi in urbibus vel castellis." cod. Theodos. l. 16, tit. III, de monachis leg. 1: „Quicumque sub professione monachi recipiuntur, deserta loca et vastas solitudines sequi atque habitare iubeantur." Theodoret., de vita patrum. c. 25: *πόλεις καὶ κῶμαι.* Zosimus, h. n. l. 5: *κατὰ πόλεις καὶ κώμας.* — De monachis peregrinantibus cfr. Aug. de opere monachorum. Isid. Pelus. I, 41. 314.

[28]) Weing., l. c. X, 758 s. 777. 765 u. 778. „Ueberhaupt aber erscheint es mir als unberechtigt, von der weiten Verbreitung asketischer Gesinnung in der Kirche des 3. Jahrhunderts zu reden, und dass jene nach der Ueberwindung der Gnosis „von allen Seiten enthusiastisch gepriesen uud nach Kräften gefördert worden sei." p. 779: „Das Lebensideal der christlichen Kirche des 3. Jahrhunderts gieng nicht auf Weltflucht und Selbstvernichtung, wie es das ursprüngliche Mönchtum aufstellt".

[29]) Nonnulla exempla ex Origenis scriptis collecta infra afferemus. — De variis causis, modis, ordinibus, institutis asceseos ecclesiae antiquae satis accurata et plena investigatione adhuc indigemus.

[30]) Weing., l. c. X, 778 affert: Minuc. Felix 31. 24. ep. ad Diognet. c. 4. 5. Tert. apol. 42. Clem. Al. strom. VII, 12 p. 314. Orig. c. Cels. I, 26. V, 49. VII, 48. — Sed Minucii Felicis loci contra Weingartenium testantur: c. 31: „casto sermone, corpore castiore plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius quam gloriantur: tantum denique abest incesti cupido ut nonnullis robori sit etiam pudica coniunctio." c. 24: „aut cui testa sunt obscena demessa quomodo deum non violat, qui hoc modo placat, cum si eunuchos deus vellet, posset procreare?" — Nonne plurimum interest inter virginitatem perpetuam, propter quam

plerique in ecclesia magni ducebantur, et inter statum eunuchi, „cui testa sunt obscena demessa," — id, quod ecclesia semper damnavit? — Clementem Alexandrinum quum coniugium pluris aestimet quam coelibatum et quam contentissimo animo vitam coniugalem describat, coniiciendum mihi videtur esse, felicissimo matrimonio usum esse. — Praeterea si apologetae ascesin Christianam vix leviter attingunt, timore fit, ne ethnici „Christianos infructuosos in negotiis, malos cives, hostes patriae" iure dicere videantur. In omnibus autem aliis scriptis saepe commemorantur et laudantur ascetae. Quod ipsis tertii saeculi fontibus, quamquam pauci sunt, confirmatur. Denique ea, quae Lucius l. c. p. 137 ss. exposuit, praesertim quum valde augeri possint, paucis illis Weingartenii locis redargui nequaquam existimo.

31) Weing., l. c. X, 565.

32) Keim, l. c. p. 215 ss. Harnack, l. c. 18 ss.

33) Weing., l. c. X, 758—760. 764. 766. 778 s. 788.

34) ibid. X, 760—764.

35) ibid. X, 759.

36) ibid. X, 759. 766—774. 789.

37) ibid. X, 776.

38) ibid. X, 775.

39) ibid. X, 777. 785.

40) ibid. X, 777. 785.

41) ibid. X, 783. 786—788.

42) ibid. X, 777 s. 786.

43) ibid. X, 785.

44) ibid. X, p. 777 s: „Nur Eines geht, trotz aller tendentiösen Erdichtung aus diesen Erzählungen (scil. Palladii, Rufini etc.) ebenso wie aus der vita Antonii für die Genesis und die äussere Erscheinung des ursprünglichen Mönchtums hervor: die erste Form desselben war das Eremitentum; die ersten Mönche waren durchweg isolirte Anachoreten. Die Askese aber, die allen diesen Anachoreten nachgerühmt wird, ist wol geeignet, uns noch einen Schritt weiter zu führen. Dieses Ideal christlichen Lebens war den ersten christlichen Jahrhunderten völlig unbekannt. Fühlt man sich doch, wenn man von Eusebius und Athanasius kommt, wie in eine andre Welt versetzt unter den Mönchen des Hieronymus und den andern Zeitgenossen der sog. vita Antonii etc. . . . . Und da drängt sich uns die Frage auf: können die Wurzeln für eine solche Weltanschauung in der christlichen Kirche selbst gelegen haben? Ich glaube, man muss diese Frage, und zwar mit völliger Sicherheit verneinen" . . . p. 782: „Und ganz bedeu-

tungslos ist es doch nicht, dass die Entstehungs- und Hauptgebiete des aegyptischen Mönchtums in unmittelbarer Nähe der alten Serapisheiligtümer lagen. Heracleopolis, die Geburtsstätte des heil. Antonius, auch die Heimat des Ptolemaeus, des *κάτοχος*, lag in unmittelbarer Nachbarschaft des Serapeions von Memphis. Auf der Nilinsel Tabenna, in der oberen Thebais, soll Pachomius die erste Organisation des Mönchtums vollzogen haben; unmittelbar daneben der Isistempel zu Philae" etc. . . . „Wenn ich mich sonach für berechtigt halte, für die Entstehung des ersten Mönchtums — die ja zweifellos nach Oberaegypten fällt, und für die uns nicht authentische Quellen, sondern nur Vermutungen zu Gebote stehn — die Analogie und die Uebertragung althergebrachter Formen des aegyptischen, religiösen Volkslebens, namentlich des Serapisdienstes in Anspruch zu nehmen . . ., so bin ich auf den Einwand gefasst, ob denn auch tatsächlich in den Documenten des älteren Mönchtums sich Spuren solchen vorchristlichen und populären Ursprungs finden? Ich antworte mit der Gegenfrage, ob denn überhaupt die Askese des ersten, christlichen Mönchtums spezifisch christliche Motive aufzuweisen hat, und ob nicht im Gegenteil auch der weitere Verlauf, seine Ausbreitung namentlich auch in der griechischen Welt Kleinasiens, vielmehr auf antiken als auf christlichen Hintergrund hinweist. . . . Vollends aber in dem ursprünglichen Mönchtum erscheint als höchstes, sittliches Ideal nur die Abtötung alles dessen, was mit Welt und Sinnlichkeit zusammenhängt, vollkommene *ἀπάθεια*, ohne jeden christlichen Zug, ohne jeden Anklang an ein ernst gefasstes Vorbild Christi, ohne jede Berührung mit dem paulinischen Mitsterben und Mitleben mit Christo." (Sequuntur exempla, Pallad. hist. Laus. 21. Pseudoathanas. vita Ant. 32. 60. 67. Socr. h. e. IV, 23. Pallad. hist. Laus. 83—87. Rufin, hist. monach. 31. Pallad. hist. Laus. 28 etc.)

[45]) Weing., l. c. X, 778.

[46]) ibid. X, 778 cfr. 786. 759. 767 s. 777.

[47]) ibid. X, 778.

[48]) ibid. X, 779—786.

[49]) ibid. X, 784. cfr. Harnack, l. c. p. 13 s.

[50]) ibid. X, 779—788.

[51]) Keim, l. c. p. 204 ss. Hase, l. c. VI, 422. Lucius, l. c. p. 199 ss.

[52]) cfr. Gass, Ztschr. f. K. G. II, 271 ss. Uhlhorn, die christl. Liebestätigkeit in der alten Kirche I. p. 333.

[53]) Mangold, de monachatus originibus et causis, Marburgi

1852 pp. 4—14. 33—47. 47—58. Harnack, l. c. p. 8 ss. Keim, l. c. p. 204 ss. Lucius, l. v. 134 ss.; Uhlhorn, l. v. p. 197 ss.

[54]) cfr. et ea, quae supra p. 4 s et annotationibus 25—27 exposuimus, et ea, quae infra ex Origenis scriptis afferemus. Aegre autem ferendum est, quod semper loci iidem ex aliis libris in alios transferri solent, quum facile augeri possint. Ac profecto si origines monachatus et vitam moralem et ecclesiasticam priorum saeculorum accurate cognoscere volumus, tempus est, ut ea, quae ad vitam asceticam attinent, omnia colligantur. Hoc autem loco satis sit, nostro proposito respondere.

[55]) De singulis generum illorum nominibus et signis vide Alteserrae Asceticon ll. X. Paris 1674; Bingham, origines ecclesiasticae l. III. Neque umquam, si monachatus origines perscrutamur, ista varietas negligenda est, qua non solum per saeculorum cursum, sed iam inde ab initio quarto saeculo vita monastica ornata est. Ceterum cfr. Harnack, l. v. p. 24 s.

[56]) cfr. Harnack, l. v. p. 18 ss. Uhlhorn, l. v. p. 213 ss. 332 ss.

[57]) Illa ratione, qua saeculis illis scriptura sacra et veteris et novi testamenti adhibebatur, non solum constitutionem, ordines, dogmata, eleemosynas ecclesiae, sed etiam vitam moralem et asceticam magis magisque commutatam esse plerumque parum intelligitur. Veteris enim testamenti instituta, regulae, sententiae, exempla in ecclesia aut ipsa revocari aut allegorico quodam sensu recipi coepta sunt. Simul „lex nova“ evangelii, etsi ab omnibus perfecte servari non poterat, multis tamen praeter officia communia perfectiorem vitae viam describere videbatur singulis novi testamenti locis. Quos locos ab ecclesia vetere vix recte et perfecte intellectos esse constat. Sed investiganti monachatus origines non solum demonstrandum est, singulos illos locos ab ecclesia evangelica rectius explicari (id. quod Mangold l. v. p. 25—33 exponit), sed etiam, quibus rebus permota ecclesia prioribus illis saeculis verba illa tali modo interpretari et sequi potuerit. Methodus autem et localis, qua omnia totius scripturae „oracula“ (cfr. apostol. constitt. I, 4) extra nexum per se afferri poterant, et allegorica atque typica, qua praecipue veteri testamento ea, quae demonstranda aut postulanda erant, supponi poterant, ad mutandas omnes vitae ecclesiasticae partes maximi ponderis fuit. Ceterum „semina“ monachatus, quae in ipso Novo Testamento inveniri possunt, Kropp („origines et causae monachatus, Gottingae 1863, p. 7—15) magna cum diligentia collegit, ita tamen, ut interdum numerum eorum nimis auxerit. Imprimis afferendi sunt loci: Mt. 5, 8. 6, 19 s. 8, 19—22. 10, 9 ss. 37 s. 16. 24. 19, 12. 20 ss.

22, 30 et parall.; Lc. 10, 38 ss. 12, 16 ss. 12, 33 ss. 14, 26. 34. 16, 9. 19 ss. Act. 2, 44 ss. 4, 32 ss. Apoc. 14, 1 ss. 1 Co. 7, 1. 5. 7. 8. 25 ss.

[58]) cfr. Harnack, l. v. p. 14: „Das Mönchtum setzt die relative Berechtigung der Weltkirche voraus, jene Montanisten bestritten jede Berechtigung“ etc.

[59]) Clem. Al. strom. IV, 608. 623 s. VII, 865. VI, 793. Orig. hom. XI in Num. hom. VI in Gen. hom. II in Levit. VI in Levit. etc. Cyprian. ep. I, constitt. apostol. II, 25—27. 34. 35. 36. II, 6. cfr. Uhlhorn, l. v. 130. 257 s. Hatch-Harnack, die Gesellschaftsverfassung der christl. Kirchen im Altertum 1883. p. 142. 144—171.

[60]) De evangelistis cfr. Eph. 4, 11. Act. 21, 8. 2 Ti. 4, 5. 1 Co. 9, 1 ss. Texte und Untersuchungen zur Gesch. der altchristl. Literatur von O. von Gebhardt und A. Harnack II, 1. 1884, p. 37. 39. Eus. h. e. III, 37. Orig. (ed. Lommatzsch) XVIII, 262. cfr. Hatch-Harnack, l. c. p. 73 ss.

[61]) cfr. Harnack, Das Mönchtum etc. p. 17 ss. Keim, l. v. p. 216 ss.

[62]) cfr. Uhlhorn, l. v. p. 220 ss.

[63]) cfr. Harnack, l. v. p. 17. 23 ss. Uhlhorn, l. v. p. 332 ss. Kropp, l. v. 31 ss. Hatch-Harnack, p. 157 ss.

[64]) cfr. Harnack, l. v. p. 6. 7. 24 s.

[65]) cfr. Harnack, l. v. p. 32 s. Omnino autem parum observari solet, instituta ac mores ecclesiae in aliis provinciis, regionibus, nationibus alio modo recepta esse posse. Saepe enim id, quod de una provincia accepimus, ad omnes transferendum esse existimatur. Quod rebus antiquae ecclesiae vix probari potest, praesertim de illis saeculis, quibus et imperii Romani unitas iam discindi coepta neque ecclesiae catholicae unitas iam in Romanae sedis auctoritate posita erat.

[66]) cfr. ea, quae supra (pp. 2 ss) exposuismus.

[67]) cfr. exempli gratia Augustini: de opere monachorum, de moribus eccl. cathol., de agone christiano, de bono coniugali, de sancta virginitate, serm. 138, sermones de vita clericorum suorum. Deinde compara Isidori Pelus epistolas, Hieronymi vitas seu epistolas, Chrysostomi homilias, Sulpicii Severi dialogos, Palladii historiam, conciliorum canones, Basilii regulas, Donatistarum seu Joviniani argumenta.

[68]) cfr. Harnack, l. v. p. 5 s: „in dem Dienste Gottes unter Verzicht auf alle Güter des Lebens, auf Eigentum, Ehe, persönlichen Willen und persönliche Ehre, kurz in der religiösen Weltflucht, im Mönchtum.“ cfr. p. 17 et 21: „Das ursprüngliche Ideal war: der reinen Anschauung Gottes teil-

haftig zu werden; das Mittel: absoluter Verzicht auf alle Güter des Lebens, dazu gehörte auch die kirchliche Gemeinschaft. Man floh nicht nur die Welt in jedem Sinne dieses Worts, man floh auch die Weltkirche. Nicht als ob man ihre Lehren für unzureichend, ihre Ordnungen für unangemessen, ihre Gnadenspendungen für gleichgiltige hielt; aber man hielt ihren Boden für gefährlich und man zweifelte nicht, alle sacramentalen Güter durch Askese und stetige Betrachtung des Heiligen sich zu ersetzen.“ Quibus verbis omnia comprehensa esse existimo. Tamen quia monachi primis illis temporibus non omnes omnibus illis rebus absolute renuntiasse et alii alio modo ac vinculo cum ecclesia coniuncti fuisse mihi videntur, eam, quam supra in textu attuli, descriptionem accuratiorem esse puto. Neque vero hoc loco fontibus ipsis demonstranda erit. Tamen, quid in unaquaque descriptionis illius parte observandum sit, exponere mihi liceat. Totum igitur monachatus propositum est contempto mundo Deo uni servire. Contemnuntur autem mundi bona et mala tali modo: 1) possessiones seu res familiaris paupertate; 2) coniugium, familia, voluptas castitate; 3) vita activa, studia saecularia, commercium vulgare contemplatione seu gnosi seu studio sacrae scripturae; 4) societas civilis et familiaris et respublica anachoresi; 5) commoda et illecebrae vitae saecularis exercitiis asceticis; 6) libertas seu licentia vita communi et regula. — Sed paucis rationibus hoc loco confirmanda erunt, quae in textu addidi: „signa illa ante regulam S. Benedicti neque omnia ubique vita monastica coniunguntur neque singula ubique perficiuntur, sed diversa ratione, qua coniuncta et perfecta sunt, singula monachorum genera designant, simul autem cum pristinis ecclesiasticae asceseos modis ea vario modo ac gradu connectunt.“

I. Quod ad paupertatem attinet, non omnes anachoretas et coenobitas et alios monachos toti rei familiari renuntiasse demonstrari potest. Immo nonnullos partem rei familiaris sibi conservasse exemplis confirmatur, quamvis maiorem partem abiecerint.

II. Quod ad castitatem attinet, non solum virgines, sed etiam viduos et viduas et ipsos coniuges, patres matresque, monastico proposito se dedisse inter omnes constat. Immo primis monachatus temporibus, quum aut nullum aut certorum annorum votum monachos cogeret, monachi postea interdum matrimonium videntur praetulisse. (cfr. Athanasii ep. ad Dracontium).

III. Quod ad contemplationem attinet, qua etiam sacrae

scripturae studium, orationes, psalmorum cantum, similia complectimur, non solum coenobitas, sed etiam multos anachoretas aliosque monachos non modo contemplationi et otio, sed etiam certis manuum operibus, artibus, negotiis, operam navasse facile ostendi potest. Insuper mox etiam monastica vita, quantum inter sapientes nobilesque et vulgus, inter plebem rudem et philosophos intersit, manifestum factum est.

IV. Quod ad anachoresin attinet, quae paupertate postulatur, castitate adiuvatur, contemplatione coronatur, monachos etiam in urbibus et vicis inveniri iam supra diximus. cfr. p. 5 s., annotationes 24—27. Addi potest, et anachoretas interdum in civitates rediisse et coenobia saepe prope urbes et castella, quin etiam in urbibus fuisse ita, ut anachoresis plerumque vix absoluta dici possit. Absolute autem renuntiabant muneribus, magistratibus, rebus civilibus.

V. Quod ad exercitia ascetica attinet, ut nomina, ita formae monachatus variae sunt. Alii frugalitati, alii severissimae disciplinae et abstinentiae se dabant. Diversi erant cibo, potu, vestimentis, otio, cultu, labore, castigationibus, ieiuniis, vigiliis, orationibus, stationibus, domiciliis, litterarum et artium studio, hilaritate, tristitia, canticis, lamentationibus. Imprimis autem observandum est votum, quod primis temporibus nullum aut certi temporis aut totius vitae, publicum aut privatum esse et modo haec, modo illa comprehendere poterat.

VI. Quod ad vitam communem attinet, quam semper regula quaedam seu ordo et oboedientiae officium sequuntur, et anachoretae perpetui et illi, qui in certum tempus e coenobiis exibant, vitam communem vitabant. Perquirendum autem accuratius est, quomodo singuli monachi seu monachorum genera cum clero et singulis ecclesiis seu patriae seu vicinis, deinde cum virginibus, viduis, ascetis (continentibus), pauperibus ecclesiarum aut cum aliis monachis coniuncti, nec minus, quomodo iuri et civili et ecclesiastico subditi fuerint.

VII. Denique ubique epitheta ornantia monachatus negligenda non sunt, scilicet haec: „perfectio evangelica, *θεῖα φιλοσοφία*, vita religiosa, vita angelica, vita contemplativa, vita coelestis, vita apostolica, imitatio Christi, nubere Christo, sponsam esse Christi.“ Quae omnia antea aut totius religionis Christianae aut asceseos ecclesiasticae epitheta ornantia fuerunt et deinde ad monachatum solum translata sunt.

69) cfr. Harnack, l. v. p. 14. 21.

70) Non promiscue sine ullo discrimine et ordine tales loci afferendi sunt. Alio enim modo eadem apologeta profert atque is, qui conciones habet aut commentarios scribit, alio modo

episcopus ac monachus, alio clericus ac laicus philosophans; deinde homiliae, quae ad populum habitae sunt, libri ascetici, epistolae maioris ponderis sunt quam dogmatica, apologetica, polemica scripta.

